


DE
ELOCUTIONE
PARS III.



§. I.

DE ELOCUTIONE

IN GENERE.

Tractavimus hactenus de solida Inventione, et de recta Dispositione cogitationum; nunc de inventorum ac dispositorum elocutione, agendum nobis est.

Ad *dicendum* enim *bene*, uti principio inuimus, non sufficit bene cogitare, bene cogitata disponere, sed oportet eadem, et quibusdam Eloquentiae ornamentis, sobriè adhibitis, explicare, et bonis delectisque verbis, ac propriis dicendi modis uti, et quam maxima claritate cuncta, quae mente volvis, exponere, et denique omnia, quae passim Tyronibus Eloquentiae obrepere solent, vitia, majorem in modum, devitare.

Vg. Super Propositione: Militarem gloriam praestare Oratoriae laudi: Cogitabit bene, qui ita cogitet, idque ita probet: Ad maximos in Republica honores. v. l. via militari, boni Duces Exercitus, vel via civili boni Oratores ascendant. Nam boni Duces bello Rempublicam defendunt, boni Oratores in pace Rempublicam servant. Cum tamen bellum strepere incipit,

Oratores tacere debent. Nam ut vetus Poëta inquit: pellitur è medio sapientia, dum arma sonant, vi geritur res, spernitur Orator bonus, horridus miles amatur. Quare cum ita sit, Ducibus Oratores cedere debent, et priores esse milites, quam illi in Republica.

Quid huic cogitationi deest? solida est, sed insipidè explicata. Elocutionem Oratori-
am penitus desiderat. Audite Ciceronem pro-
Murena, sic hoc eloquentem.

„ Duae sunt artes. quæ possunt locare ho-
„ mines in amplissimo gradu dignitatis, una Im-
„ peratoris, altera Oratoris boni. Ab hoc enim
„ pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pe-
„ ricula repelluntur. Omnia tamen ista nobis stu-
„ dia de manibus excutiuntur, simul atque ali-
„ quis motus novus bellicam canere incipit. E-
„ tenim, ut ait ingeniosus Poëta, et auctor valdè
„ bonus: praeliis promulgatis, pellitur è medio
„ non solum vestra ista verbosa simulatio pru-
„ dentiae, sed etiam ipsa illa domina rerum, Sa-
„ pientia: vi geritur res, spernitur Orator, non
„ solum odiosus in dicendo, ac loquax, verum
„ etiam bonus: horridus miles amatur. Vestrum
„ vero studium totum jacet. Non ex jure manu
„ consortum, sed magis ferro, inquit, rem repe-
„ tunt. Quod si ita est, cedat, opinor, Sulpicii,
„ forum castris, otium militiae, stilus gladio,
„ umbra soli; sit denique in Civitate ea prima
„ res, propter quam ipsa Civitas est omnium
„ Princeps.

Vident hic perspicuè Adolescentes discrimen, inter bonam cogitationem, et inter bonam Elocutionem; quidque sit loqui, quid eloqui. Nam cogitationes ipsae etiam praestantissimae, quodammodo vilesunt, roburque omne vel ratio ipsa, videtur amittere, nisi cum bene, recteque cogites, etiam egregiis, propriis, delectisque verbis, et quodam bene dicendi artificio, vim, animam, et vitam cogitationi addideris.

Adolescentes hic probè cognoscent, si vel hoc unum elocutionis exemplum rite examinent, quid sit vera Elocutio. De hac nunc itaque tractaturi sumus.

Ego jam ad Elocutionem quatuor imprimis pertinere statuo; 1^{mo}. Ornamenta Rhetorica, quae in periodis, Amplificatione, Tropis, Figurisque consistunt. 2^{do}. In quavis, quâ Orator utitur lingua, proprietatem, delectumque verborum, et modorum dicendi. 3^{tio}. Quàm maximam styli claritatem et facilitatem. 4^{to}. Cognitionem vitiorum Eloquentiae, quae vitari oporteat. De his sequentibus capitibus agemus. Sit imprimis.

§. II.

De Periodis.

Male de Juventute merentur tam illi, qui totam Rhetorices artem Periodorum, Troporum, Figurarumque cognitione definire, quam isti, qui de his perperam tractare, vel ea spernere

fortasse, videantur. Nisi enim Juvenes bonis periodis cogitationes jungere, periodos, quantum dantaxat expedit, non inutilibus verbis ampliare, tamque earum membra particulis inter se vincire, quam periodum cum periodo connectere, verba bene collocare, numerosè dicere, diligenter doceantur, et continuo his asuescere jubeantur; oratio eorum semper erit rudis, scabra, hiulca, et insipida.

Quo loco monendum: docere Periodos, non esse idem, ac Juvenibus ita componenda praescribere, ut eos cogas, quatenus consequenter per Periodos, Tropos, Figuras, Exempla componere; unamque post aliam unimembrem, bimembrem *etc.* periodos, omnino expriment. Hoc enim ridiculum est, cum Tropi, Figurae, Periodi, qualescunque se se juxta cogitationem offerunt, naturaliter in quamvis orationem influere debeant. Natura et vis, virtutes et vitia horum, bene explicanda iis sunt, et deinde Professori curandum, ad id asuefacere Juvenes, ut Periodi eorum qualescunque menti occurrunt, bonae, clarae, numerosae, beneque ligatae sint; Tropi, Figuraeque prudenter, ubi opus, adhibitae. Definiamus jam Periodorum naturam.

1. Quid est Periodus?

Periodus (Graece significans ambitum seu circuitum) est sententia quaedam ita in se absoluta, ut ad complendum in ea perfectum mentis sensum, nihil amplius desideretur.

V.g. *Omnia quaecumque dicturus es, prius mente considera. Multorum enim lingua, intellectui praecurrit.* In hoc Isocratis monito sunt duae periodi, quarum et prima et secunda ad cogitationem praesentem perfectè exprimendam, nihil amplius requirit.

2. *Ex quo componitur periodus?*

Ex membris, et incisibus seu Commatibus.

3. *Quid est incisum, seu comma?*

Est particula minor periodi, non penitus completa.

V.g. *Existimes, nihil in rebus humanis firmum, nihil non mutationi et casui obnoxium esse.* Unum hic incisum est, *existimes*; alterum incisum: *nihil in rebus humanis firmum*: tertium Incisum: *nihil non obnoxium mutationi et casui esse*: quae omnia incisa separatim in semet accepta sensum ferè nullum habent.

4. *Quid est Membrum?*

Est major pars periodi, ita quidem facta, ut adhuc aliud membrum, (nisi sit unimembris periodus) quo sensus compleatur, desideret.

V.g. *Sapiens Vir tam mediocriter gaudet bonis, quae eveniunt, quam moderate dolet ex malis, quae cadunt.* Isocrates. Nullum horum quatuor membrorum est, quod aliud non desideret, donec periodus tota completa sit.

5. *Quotuplex est Periodus?*

Multiplex: Unimembris, bimembris, trimembris, quadrimembris, et aliae plurium membrorum, quam quatuor.

Unimembris, si justo longior est, vocatur *Schoenothanes*. Aliae periodi ex pluribus quam quatuor membris conllatae, vocari solent periodi *Pneumaticae*, item *periodicae circumductiones*.

6. *Quid est Periodus Unimembris, bimembris, trimembris, quadrimembris?*

Quae unum, quae duo, quae tria, quae quatuor membra continent, atque ita à numero membrorum vocantur.

Graece dicuntur *monocolos, dicolos, tricolos, tetracos*. *vg. Sententiae hae Isocratis: Ad magistratum eVectus, in obeundis negotiis, nemine utaris improbo. Est unimembris. Culpa quae à malis Consiliariis critur, tibi proculdubio odscribetur, non illis. Est bimembris. Cum multis divitiis laus omnino praestantior sit, à publicis, quae in Republ. gesseris, functionibus et muneribus, non ditior, sed laudabilior discedere cura. Est trimembris. Justitia eo praestantior est opibus, quod hae quidem et viventibus tantum prosint, et improbis etiam communes sint, illa vero solis bonis propria, et vitae laudem, et gloriam sempiternam iis pariat. Est quadrimembris.*

NOTA, quot in periodo verba sint Personalia, vel impersonalia, tot esse etiam periodorum membra.

Vg. In sequenti Isocratis sententia, quia plura, quam quatuor verba reperiuntur, plura etiam sunt, quam quatuor membra: *Ut apem videmus quae omnibus quidem flosculis insidet, ab unoquoque autem utilia carpit; ita oportet ut ii, qui eruditionem appetunt, probent omnia, nulliusque rei inexperti sint, sed undique utiliora ac salubriora colligant.* Hanc plurimum membrorum periodum, periodicam circumductionem, seu quidvis appella. Pergamus ad

Conditiones bonae Periodi.

PRIMA EST; ut optimè inter se membra periodi ligentur. Ligantur autem particulis, quae sunt innumerabiles, quales sunt istae: *Ut ita: adeo, ut: non tantum, sed etiam: etc. cum, proinde: nunquam non, quin etiam: cum, tum: tam, quam: nunquam, nisi: quantum, tantum, non satis, sed insuper: eousque, donec: ille qui: etc.* De quibus jam et supra toties innumus et quae usu discuntur. Sine ejusmodi particulis periodi plerumque scopae, ut ajunt, dissolutae sunt: hae vero particulae id efficiunt, ut omnino sensum sequentem quodammodo post se evocent. Vg. *Hac ratione amicis optimè uteris, si non expectes dum ipsi rogaverint, sed ipse sponte tua is opportunè opituleris. Isocrates.* Vide quam istud: *hac ratione amicis uteris, exigit omni-*

no sequens aliquid: i t u d quoque: *si non expectes rogari*, exigit id, quod sequitur, *sed sponte opituleris*; tum primum sensus et periodus ritè compentur. Item: *Magni facito non solum eos ex amicis, qui ob mala tua dolent, verum etiam eos, qui ob bona tibi non invident.* Item: *Odis habe non minus eos, qui adulantur, quam eos, qui te deripiunt.* *Isocrates.* Hae particulae, et aliae ejusmodi pulcherrima sunt cogitationum vincula.

Particulae: *ut, ita*, similesque, nonnunquam latere possunt. *Vg: Aurum in igne probamus, amicos in infortuniis dignoscimus.* *Isocrates.* Latent hic particulae, *sicut, ita.*

Sed imprimis Adolescentes asuefaciendi sollicitè sunt, ut his particulis nectant omnino periodorum membra. Postea enim, cum in eloquentia profecerint, animadvertent ipsamet, ubi natura ipsa has particulas exigit, et in orationem quodammodo infundat; et ubi sine iis etiam sensa possint ligari. Nam viri maturi de id genus particulis non cogitant, ipsamet, ubi opus est, influunt, ubi non opus, relinquuntur. *Vg. Isocrates: Neminem amicum facias, priusquam exploraveris, quomodo prioribus sit usus amicis. Expecta enim ipsum talem erga te futurum, qualis erga alios prius fuerit; Tardè quidem amicus fias, factus vero, in amicitia firmiter perstare coneris. Aequè enim turpe est, neminem habere amicum, ac familiares multos saepius permutare. Imprudentiam itaque ac neglectum in dilectu amicorum vitabis. Non probati, non bene*

cogniti vitia cel re possunt, malaque animi, quae in us latent, ut secreti turpesque morbi corporis. contagiosa saepe unt, quae ignorum incautumque paulatim inficiant, aut detecta tardius horrorem incutiant: ita amicitiam ocius quam par est, et male coalitam dissolvi ac evanescere oportet. Periodi hae, ut videre est, aliae habent, aliae non habent has, quae ligant, particulas. Nihilominus tamen talibus exemplis non obstantibus utilius longè est Juvenes ad connectenda supradictis particulis periodorum membra, continuo cohortari.

Moendum hic est: Omnes ferè, plurium quam unius membri, periodos, bene particulis ligatas, *Protasi, et Apodosi* constare. *Protasis* est prima pars periodi, quae alteram post se omnino desiderat. *Apodosi* est altera pars periodi, quae *Protasi* respondet. Vg: *Ita calamitatibus infortunisque sum obrutus, Protasis, ut neminem infeliciores me esse existimem, Apodosi. Erga parentes tuos (Isocrates) talis esse memineras: Protasis, quales liberos tuos erga te esse optares, Apodosi Amicos, (idem Isocrates) existimabis non eos, qui quidquid di as aut facias laudent, non eos, qui quidquid desideres, tibi facile mox concedant, non eos, qui omnia, quae tu probes, caecè probent et ipsi, nec eos, qui dicenda dissimulent, et vera, quamvis tibi non ad palatum futura, subiceant. Lucusque Protasis: sed eos, qui jure amicitiae, et prudenti loquendi libertate usi, tibi aut semper honesta, quantumvis saeviora*

consilia praebeant, aut etiam delicta tua reprehendant: Apodosis.

SECUNDA BONAE PERIODI CONDITIO EST: ut voces omnes in periodis, membris, incisus, rectè inter se collocentur, ita quidem, ut sonum quemdam gratum auribus, benè collocatae reddere videantur. Res haec tam in patria, quam in latina lingua nunquam satis Juvenibus inculcari potest, sed maxime in exemplis elucet, et exemplis ostendenda est.

Quirites videtis die hodierno Deorum Immortalium amore summo erga vos, meis laboribus, periculis, et consiliis Rempublicam ereptam pene ex faucibus fati, ex flamma et ferro, vobis conservatam, et restitutam, vestramque omnium vitam, liberos vestros, bona, conjuges, fortunas, hoc domicilium clarissimi Imperii, urbem fortunatissimam et pulcherrimam. Quam haec scabrosa sunt, quamvis sint Ciceronis? sed ita jam, ut ille collocavit, collocentur: „Rempublicam, „ Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, „ conjuges, fortunas, liberos vestros, atque hoc „ domicilium clarissimi Imperii, fortunatissimam, pulcherrimamque urbem, hodierna die, „ Deorum Immortalium, summo erga vos amore, „ re, laboribus, consiliis, periculisque meis, „ ex flamma atque ferro, ac pene faucibus fati „ ereptam, et vobis conservatam ac restitutam „ videtis.” Quae facilitas, quamvis in longa Schoenotene? quae elegantia? quae majestas Orationis ex hac vocum collocatione oritur? Acci-

piamus in exordio Catilinae tertiae: *Non minus ii dies, quibus nascimur, illustres atque jucundi nobis sunt, quam ii, quibus conservamur.* Cicero ita: „Non minus nobis jucundi, atque illustres „ sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, „ quibus nascimur.

Ita autem haec collocatio necessaria in eleganti oratione est, ut sine illa, quidquid dicas, omni gratia destituatur; ritè vero collocatis vocibus, imo vel una quandoque voce in meliorem locum aptiùs transposita, etiam simplici elocutioni gratia conciliatur. Si dixeris ita: *Est flagitium maximum in adolescentibus, si detrectant obedire, si contemnant, contumaces et obstinati eorum auctoritatem, à quibus reguntur.* Haec nimiam simplicitatem redolent, haec repunt. Jam, ut Oratori propria sint, eadem cum interprete Isocratis ita colloca: „Maxim „ mum in adolescentibus flagitium est, si obe- „ dire detrectant, si obstinati et contumaces, „ earum, à quibus reguntur, auctoritatem con- „ temnunt. Item. *Esto diligentissimus et indefessus in magistratibus et officiis, nullum fugito laborem et defatigationem.* Haec scripturientis sunt; paulo aliter has voces colloca, sonabunt gratius: „In magistratibus et officiis diligentissi- „ mus indefessusque esto, defatigationem, labo- „ remque nullum fugito. „ In his sequentibus verbis pro Milone, tere nihil esse Ciceronis videtur. *Sed finis sit, neque enim jam possum loqui prae lachrimis, et hic vetat se lachrimis defendi.* Haec obvia, aliter paulo collocata, Cicè-

ronis sunt: „ Sed finis sit, neque enim præ
 „ lachrymis jam loqui possum, et hic se lachry-
 „ mis defendi vetat.

At jam, quaeret aliquis, quae et ubi, voces collocandae sint? Ego inutilibus regulis abstinco. Neque enim haec definiiri possunt. syllabarum tali vel tali numero in fine periodi, vel membri. observando; cum haec continuo variant. Attentio et iudicium mentis, aptius quam quaevis regula te voces collocare docebit. Considerentur: Cicero, Julius Caesar, Sallustius, Plinius, bonique Oratores tam latini quam patrii; ex his facile haec harmoniae in collocandis vocibus, mens quodammodo ipsa, nedum aures asueant. Praeceptoris est corrigere, et aptius, quae à Discipulis perperam collocatae sint, voces transponere. Plerique dicunt se in colloca-tione vocum, tam in patria, quam in Latina lingua, suam sequi naturam, sui pectoris halitum; non ideo tamen ingrati insipidique esse desinent, si Ciceronis aliorumque honorum Ora-torum harmoniam, in ordine vocum imitari conentur.

TERTIA CONDITIO BONAE PERIODI:
 ut nempe sit numerosa, seu debito vocum ac syllabarum numero completa.

Numerus hic à justa (de qua inferius) verborum amplificatione oritur.

7. *Quis tamen numerus in membris et perio-dis esse debet?*

Quaestio fere inutilis. Tot enim voces in singulis esse debent membris aut periodis, quot sunt necessariae. Una plus, quae necessaria non sit, vel una minus, quae desideretur, orationem vitiabit.

Faciunt bonum membrum periodi, paucae etiam voces, si satis sunt; faciunt vicinae vel tricinae, si iis opus est. Nullomodo Adolescentes cogendi sunt, ut omnino epithetis, adverbis, et id genus, membra periodorum infarciant; sed duntaxat, ut bene cogitationem, tot, quod opus est, vocibus enucleent. Sint aliae, prout rei natura exiget, paucarum syllabarum, aliae etiam centenarum, periodi; erunt omnes numerosae, dum nihil ad cogitationem mentis explicandum in iis desit. Haec observatio, nunquam satis Adolescentibus commendari potest.

. Falluntur, qui Ciceronianam Eloquentiam in amplificatione quam copiosissima, ac longitudine periodorum collocant. Pleno ille decurrit alveo, et exundat, ubi optis est: constringitur pressusque est, ubi paucis rem expedire oportet. Clodium aliquo loco, ita de suo ab urbe exilio, de statu urbis, et de hominis istius sceleribus alloquitur. „ Pulsus ego civitate non sum, quae tum nulla erat. Accersitus „ in civitatem sum, cum esset in Republica „ Consul, esset Senatus, esset consensus populi „ liberi, esset juris et aequitatis, quae vincula „ sunt civitatis, repetita memoria. etc. At vide „ de, quam ista tui latrocinii tela contempse-

„ rim. Nihil neque meum est, neque cuius-
 „ quam quod auferri, quod eripi, quod adimi
 „ potest. Si mihi eripuisses divinam animi mei
 „ constantiam, tum ego accepisse me confiterer
 „ injuriam. Sed haec nec fecisti, nec facere
 „ potuisti. Reditum mihi gloriosum tua injuria
 „ dedit, non exitum calamitosum. Ego semper
 „ Civis eram, tu ne nunc quidem es Civis. Nisi
 „ forte idem esse hostis et civis potest. An
 „ tu civem ab hoste, natura ac loco, non ani-
 „ mo factisque distinguis? Caedem in foro fe-
 „ cisti, armatus latronibus templa tenuisti, pri-
 „ vatorum domos aedesque sacras incendisti.
 „ Cur hostis Spartacus, si tu Civis? *etc* Vident
 Adolescentes, quam hic pressus sit Cicero,
 quam brevis, quam nullis verbis, nisi neces-
 sariis, eius constet oratio.

En quomodo alibi, amore gloriae Romanos
 excitat ad vindicandam injuriae labem, quam
 Mithridates illis intulerat, cum omnes Cives
 Romanos in Asia uno die excindi, imperasset.

„ Et quoniam, *inquit*, semper appetentes glo-
 „ riae praeter caeteras gentes, atque avidi lau-
 „ dis fuistis, delenda vobis est illa macula
 „ Mithridatico bello superiore suscepta, quae
 „ penitus jam insedit, atque inveteravit in Po-
 „ poli Romani nomine; quod is, qui uno die,
 „ tota Asia, tot in civitatibus, uno nuntio, atque
 „ una literarum significatione, cives Romanos
 „ necandos trucidandosque denotavit, non mo-
 „ do adhuc poenam nullam suo dignam scelere
 „ suscepit, sed ab illo tempore, annum jam
 „ tertium

„ tertium et vicesimum regnat; et ita regnat,
 „ ut se non Ponto, neque Cappadociae latebris
 „ occultare velit, sed emergere è Patrio Regno,
 „ atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae
 „ luce versari. *Quam haec longa, quam ampli-*
ficata Periodus? Sed illam mox longè brevior,
minimèque amplificata sequitur: ” Etenim ad-
 „ huc ita vestri cum illo Rege contenderunt Im-
 „ peratores, ut ab illo insignia victoriae, non
 „ victoriam reportarent. *Quid hac Periodo*
pressius? ” Videte, ne ut illis pulcherrimum
 „ fuit, tantam vobis Imperii gloriam relinque-
 „ re, sic vobis turpissimum sit, illud, quod acce-
 „ pistis, tueri ac conservare non posse. *etc.*

Hae Periodi diversae sunt, longae aliae,
 breves aliae. Sed considerent Adolescentes, si
 quam vocem supervacaneam in iis observent?
 aut. si, quae necessaria esset, hic desideretur?
Semper appetentes gloriae, et cupidi laudis fui-
stis. Quam istud: *appetentes gloriae*, alterum
 hoc: *et cupidi laudis fuistis* melius cogitatio-
 nem exprimit, melius laudem et gloriam ani-
 mis imprimit? *Illa macula penitus insedit, et*
inveteravit, quid hic superfluum? imo quid
 non efficacissimum? ut his duobus verbis: *ma-*
cula insedit et inveteravit antiquae injuriae de-
 decus tam diu inultum, animis fortius insiga-
 tur? Si velles ista adimere: *uno die tota Asia,*
tot in Civitatibus, uno nuntio, atque una lite-
rarum significatione: profectò his vocibus sub-
 latis, pernecessarias facti circumstantias impru-
 denter tolleres. *Necandos trucidandosque de-*

notavit. Dele alterutrum, magnam vim injuriae diminues. Ita vides nihil hic esse superfluum. Jam si addere fortasse velles; *illa macula penitus jam inhoesit, insidit, ac à tot annis inveteravit,* id enimvero et superfluum, et insipidum esset, satis enim superioribus vocibus res expressa est. Si ad illam Periodum: *Etenim adhuc ita vestri cum illo Rege contenderunt Imperatores,* addere velis: *Cum foedifrago illo immanique Rege vel: Vestri fortissimi imperatores,* vel si addas: *reportarunt insignia victoriae, gladios, tentoria, vexilla, captivos:* haec perquam superflua, et inutilissima essent. Hoc et simili modo è Cicerone aliisque bonis Oratoribus, ostendendum est Adolescentibus, in quo verè consistat Periodorum numerus, et amplificatio, quam scilicet solis necessariis vocibus sint implendae periodi, ut rotundae, naturalesque sint.

Plinius quoque, (ne plurimos hic ponam) rotundarum ejusmodi Periodorum est praeclarum exemplar. Totus exscribendus hoc loco esset, at aliquot saltem ex illo periodos extrahimus. Trajanum laudat, quod cum ante eum barbarus Imperator Domitianus sapientiae Professores expulisset, ille docendae Juventuti, plures Magistros sapientes, provderit. Nota quod voce: *principaliter* utitur in hac significatione: *ut principem decet,* Magistros scilicet constituendo, et illis alimenta praebendo. " Quid (*inquit*) vitam? quid mores, quam principaliter formas? Quem honorem dicendi Magistris, quam dignitatem Sapientiae Doctoribus ha-

„ bes? Sub Te spiritum et sanguinem, et Pa-
 „ triam, receperunt studia, quae priorum tem-
 „ porum immanitas exiliis puniebat, quum sibi
 „ vitiorum omnium conscius Princeps, iniui-
 „ cas vitis artes, non odio magis, quam reve-
 „ rentia relegaret. At Tu easdem artes in com-
 „ plexu, oculis, auribus habes. Praestas enim
 „ quaecunque praecipunt. Tantum eas diligis,
 „ quantum ab illis probaris. Adde his aliquid
 „ vel detrahe, amplifica haec, vel diminue, pue-
 „ rilis censurae notam non effugies.

Jam finiendo rem de Periodis, id unum
 adhuc à bonis magistris Adolescentes continuo
 moneri cuperem, ut loco longarum immensa-
 rumque Periodorum, quae cogitationes intelle-
 ctu difficiles reddere solent, ea quae cogitant,
 potius in plures omnino Periodos dispescere
 satagant. Quo enim plures, rotundioresque Pe-
 riodi, cogitationes dividunt, eo istae magis pla-
 nae, captuque faciles fiunt. Demus exemplum
 vitiosae longaeque Periodi. Sensus sit: *In avari-
 tiam, in iracundiam, in voluptatem, in maesti-
 tiam imperium animi exercendum esse.* " Ut in ea
 „ omnia, à quibus superari animum turpe fue-
 „ rit, exercendum est imperium, ita imprimis,
 „ in cupiditatem lucri, quod tum exercebis,
 „ cum ea sola verum esse lucrum arbitraberis,
 „ per quae famam et gloriam compararis, non
 „ per quae opibus abundaveris; deinde in ira-
 „ cundiam, quâ in peccantes ita affectus esse
 „ debes, ac alios in temetipsum delinquentem,

„ affectos esse cuperes; tum in amorem volu-
 „ ptatis, turpe est enim servis imperare, volu-
 „ ptatibus autem servire: denique in maestitiam,
 „ cui facile medeberis, si in molestis rebus, alio-
 „ rum infortunia spectando, te ipsum hominem
 „ esse memineris. „ Quam haec, longitudine Pe-
 „ riodi unius, parenthesibus infartae, insipida, me-
 „ moriae, captivique difficilia, et obscura sint, qui-
 „ vis videt. Has jam ipsas cogitationes in plures
 „ rotundasque cum Isocrate dispescamus Perio-
 „ dos. ” A quibus animum superari turpe fue-
 „ rit, in haec omnia imperium exercebit sapiens.
 „ Turpe est, ab avaritia, iracundia, voluptate,
 „ maestitiaque sapientem vinci. Cupiditatem lu-
 „ cri vinctes, si verum lucrum non nummos
 „ esse arbitraris, nec tuum bonum maximum in
 „ divitiis et opibus colles, sed in virtute ac
 „ his in rebus, quibus Tibi famam possis com-
 „ parare, et gloriam. Hujus esto avarus et non
 „ eris admodum pecuniae cupidus. Iracun-
 „ diam domabis, si in peccantes pariter esse af-
 „ fectus studueris, ac alios in te ipsum delin-
 „ quentem affectos, indulgentesque esse cuperes.
 „ Voluptatum cupidini moderabere, si turpe id
 „ esse duxeris, servis quidem ac belluis homi-
 „ nem imperare, voluptatibus autem cum brutis
 „ servire. Maestitiae dolorique animi modum
 „ pones, si in rebus molestis, et aliorum infor-
 „ tunia spectes, et te ipsum hominem remini-
 „ scaris, nihilque supra humanam sortem te
 „ esse memineris. „ Quam haec longè clariora
 „ sunt, utpote per plures discreta periodos. Sed

hac de re adhuc nobis locus erit dicendi, ubi de claritate styli tractaturi sumus.

Quoniam vero, incipientibus praesertim, implere bene periodos difficile est, adjungamus hoc loco aliquot *Amplificationis in verbo* modos, qui Tyronibus Eloquentiae non inutiles esse solent.

§. III.

De Amplificatione.

3. Quid est Amplificatio verborum?

Est modus, verbis necessariis, utilibus, vel ad ornatum prudenter delectis, membra Periodorum implendi.

Vg: *Cupio ut me laudes.* Cicero id ipsum ad Lucium ita exposuit: *Ardeo cupiditate incredibili, neque ut ego arbitror reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur, et celebretur tuis.* Pro *cupio*; *Cupiditate ardeo* voces sunt utiliores ad desiderium magis exprimendum, et ornant. *Incredibili*: utile epithetum ad hunc finem, ut desiderium magis exprimat, et Orationem ornet. *Neque ut arbitror reprehendenda*: voces necessariae, nam alias, cupiditas laudis, vana dici potest, et reprehendi, sed si ea quis utitur, tanquam excitamento virtutis, reprehendi non debet. *Scriptis tuis uti nostrum nomen*: necessariae voces. *Illustretur et celebretur*: haec amplificatio per *Synonyma*, et utilis est, et or-

nat. Considera nunc collocationem vocum: *scriptis ut illustretur et celebretur Tuis: Si dixisset: ut nomen nostrum celebretur et illustretur scriptis tuis.* dixisset insipide.

Comprehendant igitur bene Adolescentes, quam non frustra in Definitione posita sint haec tria: *necessariis, utilibus et ad ornatum prudenter delectis verbis.* Debent enim esse in Amplificatione quavis, voces duntaxat, *vel necessariae:* sine quibus id, quod dicis explicare non possis; *vel utiles:* quae melius quam aliae voces, cogitationem tuam exprimant; *vel prudenter ad ornatum adhibitae,* id est, voces, quae praeter necessitatem, et utilitatem, ad solum ornamentum Orationis conferunt; additur: *prudenter delectae* voces, magna enim prudentia opus est, in deligendis vocibus, ne puerilis et vana sit Amplificatio. Cicero *vg:* inquit: *Maximus in Republ: nodus est, inopia Rei pecuniariae. Obdurescunt enim magis quotidie boni Viri ad vocem Tributi. Impendent autem infiniti sumptus in exercitus, a quibus defendimur:* examinentur voces istae: *Maximus in republ: nodus est:* sunt omnes necessariae, et *nodus* vox prudenter delecta, posita est enim pro: *difficultate.* *Inopia rei pecuniariae:* dixisset brevius, *inopia pecuniae.* sed utilius ad rem, de qua agebatur, exprimendam posuit, *inopia rei pecuniariae.* *Obdurescunt enim magis quotidie boni Viri, ad vocem Tributi.* Omnes haec voces ad exprimendam talem cogitationem, si examines, necessariae sunt. *Impendent autem infiniti sum-*

ptus in exercitus, à quibus defendimur. Voces omnes hae necessariae sunt, epithetum istud: *infiniti*, et utile est, et ornat.

Idem Cicero inquit: *Me commemoratio posteritatis, ad spem quandam immortalitatis rapit. Cuperem res nostras monumentis commendari tuis.* Omnes voces necessariae. Istud: *spem quandam*, ornatus gratiâ positum est. Jam inutiliter, pueriliterque amplificares, si idem ita diceres. " *Me sollicita, et continua venturae posteritatis, ac futurorum post nos hominum, et saeculorum innumerabilium commemoratio, ad jucundissimam certamque spem non desiturae immortalitatis vehementer vique maxima rapit. Tota animi voluntate cuperem, summoque desiderio flagrarem, admirabilibus divinisque tuis me commendari monumentis.* Patet, quam ridicula haec amplificatio esset, priori comparata.

Brutus Ciceroni vult dicere: *Filius tuus mihi multis probatur, cogitat semper esse se tuum filium;* id ita eloquitur: " *Filius Tuus mihi se probat industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio; ut prorsus nunquam videatur dimittere cogitationem, cujus sit filius. Ista enumeratio virtutum, quibus filius Ciceronis sese probat, est perutiliter facta, magisque permovet ad ejus aestimationem. Pro: cogitat semper, positum nunquam videtur dimittere cogitationem, est circumlocutio, quae egregiè exornat. Si addas: cogitationem perpetuam, sollicitam, anxiam: si*

addas, *cujus, quamque clarissimi, praestantissimique Parentis sit filius: pueriliter amplificabis.*

Nemo me, quaeso, longiorem, aut *thautologia* peccare, in hac materia arguat; scio enim bene, quam res haec difficilis Adolescentibus sit, justam amplificationem, aut in quo deficiat, in quo nimia, vel inutilis sit, probè intelligere. Exemplis vero quàm pluribus potius, quam praeceptis, id ipsis commodius feliciusque ostenditur. Proinde nihil delinquet Magister eorum, si permultis adhuc exemplis, rem hanc ipsis explicare conetur. Considerent quocirca adhuc in sequentibus exemplis, quid sit vera Amplificatio: *Nihil tam laudabile est; quam de Patria bene mereri.* Item: *Putesne illum, qui suam rem prodegerit, ad administrandam Rempublicam idoneum fore?* Item: *Errant turpiter, qui potentiae gloriam è contemptu legum ac eversione Reipubl: quaerunt. Vera gloria in optimè de Patria, Civibusque merendo, sita est. Aliam boni Viri, aliam magni animi ignorant. Aliam et tu potentiae famam, cum viris sapientibus et rideto et constanter despicio.* Item: Cicero de Stoicis Philosophis ait: *Apud Stoicos nihil affirmatur, et in utramque partem multa disseruntur, de omnibus quaeritur. nihil certi dicitur.* Item, Isocratis Interpres. *Diligentius tuere verborum deposita, quam pecuniarum. Viros enim probos oportet palam facere, quod illos magis mores, quam jusjurandum, fide dignos praestent.* Item ejusdem. *Bo-*

nis benefacito. Gratia enim à probo viro debita, est pulcher thesaurus.

In his similibusque exemplis, ubi nihil deest, nihil est superflui, vident Adolescentes veram justae amplificationis naturam.

Dicendum tamen paucis est, ad juvandos Incipientes.

9. *Qui sunt modi amplificationis in verbo?*

1mo. *Addere, ubi opus vel utile est, epitheta.*

2do. *Addere ubi expedit adverbia temporis, modi, etc.*

3tio. *Circumlocutione uti, seu verbum in nomen mutare, cum alio verbo competente.*

4to. *Adjectivum in substantivum mutare, cum congruo verbo:*

5to. *Uti ablativis, vel aliis casibus, modi, temporis, causae, quibus plurimum augetur Oratio.*

6to. *Synonyma, vel voces similes idemque fere significantes, nonnunquam amplificando prosunt.*

7mo. *Enumeratio specierum sub quovis genere contentarum mire amplificat.*

8vo. *Distributio totius in partes.*

9no. *Brevis similitudo amplificat et ornat.*

10mo. *Brevis item comparatio auget, et ornat.*

11mo. *Definitio una pluresve eleganter amplificant.*

Ad hos Amplificandi Periodum in verbo modos alii, (quos experientia docebit, quique in lectione Oratorum recurrent) facile reducuntur; his interim, dum se in Amplificatione exercent, uti incipientes conentur, donec amplificare quantum opus est, in naturam illis transeat.

§. IV.

De Tropis.

10. *Quid est tropus?*

Tropus, Graece significans verto, est vocis à propria significatione, in aliam cum virtute translatio.

Vg: *Quantum animo vulnus accepi. Plinius.* A carnis vulnere, ad animum facta est translatio.

11. *Qui sunt Tropi?*

Metaphora, Allegoria, Methonymia, Synecdoche, Antonomasia.

12. *Quid est Metaphōra?*

Est Tropus, quo vox aliqua, ob similitudinem, à propria significatione ad alienam transfertur.

Vg. Dicimus: *incenditur ira*, ob similitudinem incensi igne ligni. *Item* dicimus: *Flumen Eloquentiae, Lux Sapientiae etc.* ob similitudinem cum flumine, cum luce. Hic tropus continuus sere est, et plurimum, prudenter adhibitus, ornat.

Metaphora, vel fit transferendo vocem à rebus animatis ad animata; ut: *Leo, Rex animalium, obtrektor allatrat etc.* Vel ab inanimatis ad inanimata, ut: *flammae pluunt, cristallina glacies.* Vel ab animatis ad inanimata, ut: *annus senescens* pro hyeme. Vel ab inanimatis ad animata: ut *juventus floret.*

Abusus Metaphorae vitandus est quam maxime, ut: *Gygis ingeniorum. Pingere campos sanguine, pro spargere sanguinem. Acutum montis supercilium,* pro caecumine. Haec ne in Poesi quidem juvenili, tolerari possunt, multo magis in Oratione.

15. Quid est Allegoria?

Est Metaphora continuata; quâ aliud verbis dicitur, aliud significatur.

Vg: *Virgultum facile inclinaveris: arborem frogeris citius, quam, si velles, inflexeris.* Significat: *Puerum in tenera aetate facile flecti posse, non item Virum.*

Allegoria, quia satius videtur esse Figura quam Tropus, idèoque, eo loci, ubi res erit de Figuris, repetetur.

14. *Quid est Metonymia?*

Est Tropus quo unum ex alio intelligitur.

Ut *Martem spirat*, pro *bellum spirat*. Fit quatuor modis. 1^{mo}. Cum causa, vel quasi causa, ponitur pro effectu, ut: *Ceres pro pane, Bacchus pro vino, Venus pro luxuria, etc.* Quo reducitur, Auctor pro opere, Possessor pro re possessa, Dux pro exercitu, ut: *recitavit Propertium*: id est, ejus versus; *cecidit Priamus*, id est: Troia; *Palladi et Musis vacat*. etc. 2^{do}. Cum effectus sumitur pro causa: ut *cicatrix* pro vulnere. *Quid Graecae, prae Romanis Philippicis? quid Ilias, prae Aeneide?* id est, quid Demosthenes prae Cicerone, quid Homerus prae Virgilio? *Coeli te velint fortunatum*, id est, auctor Coelorum. 3^{tio}. Cum continens pro contento: ut: *fontem ferre* pro aqua. *Roma Sancta. Athenae doctae. Pocula, calices, patinae, parasitorum voluptas. Marsupii et scriniis dives.* 4^{to}. Cum signum pro re signata: ut *sceptrum, diadema, tyara, secures, sigillum*. etc. Pro his rebus, quas signant.

15. *Quid est Synecdoche?*

Est Tropus quo unum ponitur pro alio.

Fit 1^{mo}. Cum ponitur pars pro toto: Vg: *Barbarorum vim nedum Italia, sed et Capitolium persensit*. Ubi Capitolium pars Romae ponitur pro Roma. Ita saepissimè in Pòetis flumina, montes, loca celebria, ponuntur pro Regionibus integris. Vg: *Vidi Padum, Tyberim*: id est

Italiam. Sic potest sumi apud Poetas *Aemus* pro Thracia. *Tyraeni* pro Hispania, etc. 2do. Cum totum ponitur pro parte, ut: *sylvam* vehere *Europam* incendere, *Danubium* bibere. 3tio. Cum materia ex qua res est aliqua, sumitur pro re ipsa; ut: *ferro* vastare; *saxa*, *metalla et ligna*, colere, pro Idolis; *Leone*, *Lupo tigride* vestiri, pro pellibus. 4to. Cum species accipitur pro genere. Ut *auster*, *notus*, etc. pro vento; *Aper marsus* pro quovis apro; *Rombus Adriaticus*, pro quovis pisce. *Ostraea*, *boleti*, pro quibusvis cupediis. 5to. Cum Genus ponitur pro specie. Ut: *fera* pro Leone. *Ales* pro aquila. *Pecus bidentis*, pro Elephante. 6to. Cum unum pro pluribus. Ut *Miles Provincias* praedatus; *Hispanus* gravis; *Allobrox* infidelis; *Graecus* vafer. 7mo. Cum plura pro uno. Ut, ubi *Camilli*, *Deij* etc. *Urbs plena Catilinis*, *Caetegis*, *Cloaiis*. etc.

16. Quid est Antonomasia?

Est Tropus quo aliquid pro nomine, vel persona ponitur.

Fit Tropus iste, 1mo. cum aliquis accipitur (per comparisonem) pro Persona, in Historiis vel fabulis nota; ut *Craesus* pro divite, *Apelles* pro pictore, *Fabricius* pro contemptore opum; pro ambitioso *Phaeton*, pro temerario *Jearus*, *Typhis* pro nauta etc. 2do. Cum appellativum sumitur pro proprio: ut *Consul Orator*, pro Tullio, *Poeta* pro Homero. *Imperator Atheniensis*, pro Themistocle, *Pictor* pro Apel-

le, etc. 3tio. Cum dictum pro dicente ponitur, vel factum pro persona, ut: Ille qui dixit: *non soleo furari victorias*, pro Alexandro. *Is qui urbem à se incensam cum voluptate spectavit*, pro Nerone. 4to. Cum Patria pro homine ipso: ut *Phrygius senex* pro AEsopo. *Aquinas* pro Juvenali. *Venusinus* pro Horatio. etc. 5to. Cum Definitio quaecunque, pro re definita; ut: *Artium et literarum aeternum illud domicilium*, pro Roma. *Primus Reipublicae eversor*, pro Caesare. *Scientia longum, latum, profundumque metiens*, pro Mathesi.

Hi Tropi omnes adeo frequentes, utiles, et necessarii sunt, ut sine illis nec ulla oratio, nec carmen, nec ferè epistola esse possit; imo vix et familiaris sermo. Majore tamen in versu quam in soluta oratione libertate adhibentur, An vero, qui sit Tropus; Metaphorane? an Synecdoche? an Metonymia? etc. omnino divinent juvenes, parum refert, dum generaliter Tropi naturam intelligant, quae in translatione unius significationis in aliam consistit.

Sunt et alii Tropi, ut Metalepsis, et Catachresis. *Metalepsis* est translatio à longe petita. Vg: *Quintus aries stupet*, ubi aries accipitur pro vere, ver, pro anno, annus pro hominibus, ut significet: homines quintum jam annum mirantur bellum protrahi. *Sexagena Solstitia vidit*, intelligitur senex sexagenarius, *Haec venient, olim, sed eris tum spicave, flosve, pascendis aut gramen aquis* id est: post longum tempus, cum tu, mortuus, eris in cineres redactus. *Cata-*

chresis, est abusio libera Tropi, ut: *venter memoriae*, *auriga navis*, *virgulta capitis*, etc. Sed hi Tropi minoris habentur.

Ironiam et *Hyperbolen* ad Figuras à Tropis relegamus.

Usus prudens Troporum satis commendari non potest, sed Tropi Oratori naturales esse debent, nam Pòetis plus hic licet. Solutè dices: *Non feram vera laude frustrari, ac oblivione memoriam rerum tuarum deleri*. Pòéta ad Lollium ita: *Non ego te meis chartis inornatum sileri, totque tuos patiar labores, impune, Lolli, carpere lividam oblivionem*. Solutè diceres: *In omni longè latèque orbis terrarum loco: Pòéta: Omnibus in terris, quae sunt à Gadibus usque Auroram*. Sed haec admonitio adhuc suo loco redibit.

Jam quanto plus in Carmine Tropis indulgere liceat è sequenti Ode Lyrica Adolescentibus patebit, scripta Anno 1761. occasione belli Prussici.

A D

ADAMUM STANISLAUM
GRABOWSKI,

Principem Episcopum Varmiensem.

*Mala belli Prussici esse irae Coelestis
effectus.*

O! qui labores tutus inutiles,
AEstusque Ponti è littore contuens,
Caus, volubilisque tecum
Ipse vices meditare fati:

Qui, nunc Britanno, nunc Domino maris (1)
Parere Gallo, (2) caerulea conspicias:

Libensque binarum recensens

Parta (3) Semiramidum Trophaea.

Non sectus (4) aequè, quos tremit et colit

Orbis, thronos tres, Regnaque maxima

Metire, sabuloque (5) campos

Et Patriis steriles arenis:

Emer-

(1) Nunc mari victorem Gallum, nunc Britannum conspicias (2) Caerulea Poëtis, idem quod maria: quae caerulei sunt coloris. (3) Binae Semiramides, duae Imperatrices Romana et Russiae. Semiramis Assyriorum Regina, faeminarum celeberrima. (4) Quos Orbis non aequaliter inter Principes sectus ac divisus, colit, Thronos tres, et Regna maxima metiaris ex una parte: notum est, tria magna Imperia arma junxisse contra Regem Borussiae, Austriacum, Gallicum, et Russicum. (5) Alia ex parte metiaris Marchiam Brandeburgicam totam fa-

*Emersit illis et caput extulit,
Unita quem vis foedere triplici
Non terret, Alcides (6) protervus
Geryonem nihil ut minacem*

*Expavit: etsi mole tricorporem
Qui solus, instar centimani (7) Gigis
Se dividit partes in omnes:
Undique (8) lynx et acutus Argus;*

*Nunc ense prudens aggreditur pari,
Cauto retrorsum nunc resilit pede:
Et perdit et refert amissas,
Ancipiti sibi marte palmas.*

*Quot faederatis, quamque potentibus
Pugnatur armis? illum aries (9) stupet.
Jam quintus, ut bello recentem
Cingi Equitum Peditumque nymbo?*

*Quorumve Regum? quotque superbiae (10)
Insultat? ipsa caede ferocior:
Unus novo sceptro (11) manuque
Imperiis tribus hostis impar?*

*Quin ille dena clade animosior,
Majore semper castra quatit metu,*

bulosam, quae veteribus Scriptoribus vocatur Arenaria S. R. Imperii, *abloniere, du St. Empire.* (6) Hercules ita dictus ab Avo Alceo, Geryonem Regem Hispaniae, quem fabulae tricorporem memorant, aggressus. (7) Gigas Briareus centum manuum. (8) Lynx visu animalium acutissimus. (9) Ver quintum, cujus signum aries. (10) Superbia: potentiae; Virg: *Late Regem belloque superbum*, id est potentem; Horat: *Quaesitam meritis sume superbiam*: id est, famam et gloriam. (11) Regum Europae Rex

*Victusque victori timetur.
Ut metuenda cruore viso*

*Pyrrhi Pelidae (12) terribilis bidens:
Aut qualis, (13) ictus cuspide, plus adhuc
Ferocit, ac immane rugit
Rex nemorum, nemorisque terror;*

*(Et ni ruentis sisteret impetum
Cunctator (14) unus non superabilis)
Daturus horrendas per arva
Proxima perque remota, caedes.*

*Ter (15) qui et ministram fulminis alitem
Expertus ungueisque implacidos, nova,
Nec ante vulgatas per artes
Bella, novos meditatur ictus.*

*Aut ille tandem vincet et ultimus (16)
Ridebit, (ut quae sera dies vehit,
Latent in incertis;) aut si
Dis placet (et moritura vates (17)*

*Cassandra, si quod praecinuit malum
Omen Borussis) occidet, occidet.
Sed strage qua textit, tegetque
Innumeros prius ille campos.*

O!

Borussiae penultimus. (12) Pyrrhus Rex Epiri ex Peleo et Jove genus ducens, contra Romanos armavit Elephantes; Elephas est duorum dentium, viso colore rubro, vel sanguine, exasperatur. (13) Leo. (14) Daunius invictus Imperator Austriacus. (15) Tribus insignibus victoriis Russorum fractus. Imperii Russici insigne Aquila biceps (16) Proverbium Gallicum: *Celui rira bien, qui rira le dernier.* (17) Cassandra Priami filia vates Trojana, quo nomine hic appellatur Mater Regis Borussiae, quae

O! mallet enses jungere (18) Noricos
 Et Roxolanos (19) ille suis, truces
 In Thracas, attritisque Lunae
 Cornibus; (20) Odrisiae, (21) Eois

Regnis, et (22) Urbi demere compedes:
 Quam Christiana pube, mapalia,
 Patresque grandaevos, et olim
 Jam (23) steriles, spoliare Matres!

Non ergo caeli vindicis esse rem
 Putes? aut nostri in generis necein
 Non saeva connivere fata?
 Quot jugulis eget expiari,

Quo victimarum sanguine prohi
 Impurus orbis? Credo, (24) Diespiter
 Offensus iratuque dum igni
 Nubila divideret corusco,

Certos aquarum rumperet alveos,
 Montes abyssis, et pelagus solo
 Misceret, illinc inquinatos
 (25) Turpe thoros, simul inde spretas

Ulturus aras, et Themydis (26) fugam;
 Hanc ille belli perpetui facem

19*

ante obitum, vulgo narratur male ominata fuisse de exitu Belli praesentis, omen tamen vel nullum, vel falsum fuisse belli eventus ostendit. (18) Austriacos. (19) Russos. (20). Odrysiae, Thraciae, Turciae idem est. (21) Orientalibus: Eois, aurora, (22) Bizantio, Novae Romae seu Constantinopoli. (23) Effaetas, senes, et jam pridem pariendo non idoneas. (24) Diespiter, Jupiter, dei, vel Deorum Pater, cum fulmina jaceret: (25) Irreligionem, luxuriam, et injustitiam ulturus Jupiter. (26) Nota Themydis seu Astraeae è ter-

*Incendit, in caput Nepotum
Prorsus avis sceleratorum,*

*Quibus nefastos Relligio jocos,
Et thura risus (27) Sardonios movent;
Qui templa vel temnunt supremi
Coelicolumque hominumque Regis,*

*Vel si frequentent, visere (28) fornicēs,
Cellasvè lenarum oppidò cred-res;
Qui nosse se testantur, (29) inter
Nectaris ambrosiacque ripas*

*Divos beato diffluere otio,
Incurios nostri; à quibus audias:
(30) Si sit Deus quisquam? reliquit
Res hominum. Regit omne casus,*

*Semenque brutis, ac animis idem est,
Et finis idem. Sic vetitum bonis
Sperare, sic impune pravis
Omne nefas licuit licetque.*

*Astraea terris jussa nocentibus,
Exesse, jus et flagitio datum.
Risitque Praetoris (31) secures
Culpa ferox. Scelus omne tutum est.*

*Metum Deorum, tecta (32) lanugine
Exemit aetas, jam bene crimini*

ris in coelos fuga. (27) Sardonius, seu stolidus absque causa risus, à Populis Sardoniiis. 28) Fornices, loci impuri, à quibus fornicariae dictae, lenae, mulieres, ibidem praesides. Adverbium, *oppidò*, idem quod multum vel penitus significat. (29) Philosophi Epicurei, qui testantur, Superis nullam curam esse rerum mortalium. (30) Sermones impiorum de DEO. (31) Praetoris seu cujusvis Judicis. (32) Lanugo, pili primum succrescentes,

*Matura, nec rudis struendi
Innocuae (33) pedicas puellae.*

*Jam nuptijs nil prorsus inest sacri.
Jurata flocci Numina, nec faces
Horret vel incaestas adulter,
(34) Hercyniae cui more Sylvae*

*Fas est solutis vivere legibus.
Caelestis haec non ira (35) piaverit?
Hoc fonte (36) profluxere clades:
Inde gravis mala longa belli.*

*At nos prophano, tela Deum, fera
Temnemus ausu progenies? Jovi
Infesta jam dudum propago?
Dura trucis soboles (37) Typhaei?*

*Densis Olympus fulminibus ruat!
Pudor fateri nos vetat impius,
Ictus ab ultrici Tonantis
Ire manu, pluviasque flammās.*

*Fas sint scelestis talia. Numini
Nos rite sancto. (38) Farre litabimus;
Iraeque, quae procudit enses,
Ter placido faciemus (39) Agno.*

mollesque in harba Juvenum (35) Pedicae quibus pedes capiuntur, pedicas struere, est insidiari. (34) Hercynia, Bohemica Sylva, pro quavis alia. More Sylvae, more belluarum. (35) Piare, expiare, eluere, idem est. (36) Ethnicus quoque Pœta idem fassus est: *Faecunda culpa saecula nuptias primum inquinavere et genus, et domos*: hoc fonte derivata clades in Patriam populumque fluxit. (37) Fera progenies Typhaei, qui primus Gygantum bella Jovi movit. (38) Pane Eucharistico. (39) Vitulo, haedo, agno, facere, est idem quod sacrificare.

§. V.

De Figuris.

17. Quid est Figura?

Est modus dicendi illustrior, et à comuni consuetudine remotus.

*Vg: D*iceres familiaris: *Nihil est Reipubl: magis noxium, quam quod omnes fere ejus Cives privata curent commoda, Rempublicam negligent, et Patriae utilitatibus suas praesferant. Plerique dolent et conqueruntur gloriam, libertates, jura Equest: Ordinis, Senatùs Autoritatem, judicia, ruere, Patriamque esse inermem; sed nemo est, qui ob spem obtinendae Praefecturae, de his, ubi locus est dicendi, non sileat; nullus, qui et am bonam Reipublicae Administrationem non laudet. Omnes queruntur inopem esse, sed cum de contribuendo aliquid in rem Patriae, atque ad ejus defensionem agitur, omnes se se egestate excusant. etc. etc.* Haec jam, hisque similia, Figuris adhibitis, elegantiora erunt, meliusquè movebunt animos.

„ Quid nos miramur, quid dolemus, quid
 „ conquerimur: Rempubl: veteri gloria spoliata,
 „ tam, libertates imminutas, Equestr: Ordinis
 „ jura convulsa, Senatùs Autoritatem prostrata,
 „ tam, judicia venalia, inermem Patriam vicinorum
 „ contemptui et hosti undique expositam?

„ cum nos privatorum duntaxat commodorum
„ cura totos occupet? Reipublicae nulla? Quis
„ est qui Praefecturae unius, aut tenuis pagi
„ obtinendi spe captus, ea, quae pro Republ: in
„ Comitibus dicturus fuisset, non subiecit? Imo
„ in adulationem laudemque bene gestae Rei-
„ publ: non prorupit? Eosque qui leges violatas
„ commemorare audeant, non sugillavit? non
„ risit? Quis nostrum pluris unquam fecit bo-
„ num et utilitatem universae Reipubl:, prae bo-
„ no et utilitate propria? Quis, dummodo bene
„ sibi sit, ut omnibus sit bene civibus, cogitavit?
„ Quis, praeter elegantia quaedam, ea vero va-
„ na et inania verba, cum ad rem ventum sit,
„ amorem Patriae facto aliquo illustri probavit?
„ O nos itaque boni publici amantissimos, ac
„ Reipublicae defensores acerrimos! O iurium,
„ legum, libertatumque priscarum nos vindi-
„ ces! Quid Camilli, Curtii, Decii, et quicun-
„ que se pro Patria unquam devoverint, nobis
„ cum collati? Nos enim Patriam malevolentia
„ et furore vicinorum pessumdari, quam ve-
„ hementer dolemus! quam acerbè inermem
„ plangimus! At enimverò cum de ope eidem
„ ferenda, de augendo milite, copiisque Reip:;
„ agitur, exhaustos nos esse, domi nos vix spi-
„ ritum ducere, nihil nos posse conferre, etiam
„ pejeramus, quo opulentiores aliis, eo ava-
„ riores parcioresque in Rempubl: Contribu-
„ ant, (clamare solemus.) alii, nos perlibenter,
„ quod aequum erit, conferemus, interim vero

„ nosmetipsi omne genus contribuendi reijci-
 „ mus, ne quid in commune statuatur, vetamus,
 „ atque ita turpiter Reipubl: illudimus. Plangi-
 „ te jam ita, plangite, egregii fortesque Ci-
 „ ves, ruere et perire Rempubl:, omnia susque
 „ deque verti, actum esse de nobis, actum de
 „ Patria. Sed Comitia ne quid contribuendum
 „ sit, sistite, extenuate, dissolvite, rumpite, sed
 „ in Legatorum conclavi, atque etiam in ipso
 „ Senatu ne vobis emungendi ab aula locuple-
 „ tis cujusdam cum pagis Oppidi, jam fortas-
 „ se promissi, occasio elabatur, aut ne vobis
 „ muneris honorisque in Republ: consequendi
 „ spem imprudenter adimatis, opportune ta-
 „ cete, pesulum ori imponite, silentio omnia
 „ prudentique dissimulatione tegite, facta quae-
 „ vis celebrate, certatimque laudate: ita suo sy-
 „ deri fatisque relicta Republ:, cujus profectò
 „ Dii curam gerent, Vos optimè vobis ac do-
 „ mesticis, familiaeque rebus, consulueritis. *etc.*

Vident Adolescentes in hoc brevi exemplo,
 quid discriminis sit, inter orationem sine figu-
 ris, et inter adornatam Figuris. Admonendi ta-
 men sunt: naturam quemque suam sequi de-
 bere, naturam ab arte juvari, non obrui oportere:
 parcè prudenterque figuris, utendum esse,
 longe plura absque Figurarum adminiculo
 Oratores dicere, figuras naturaliter quibusdam
 locis influere oportere, esse eas veluti oratio-
 nis lumina et ornamenta, quae, quantum satis,
 non superflue, adhibenda sint.

18. Quotuplices sunt Figuræ?

Duplices: verborum et sententiarum,

Figuræ VERBORUM sunt: quæ in *Verbo* observantur. *Vg: Memento esse te Civem, civem inquam Reipubl: non Dominum.*

Figuræ verò SENTENTIARUM, illæ dicuntur, quæ observantur in *integro sensu*, ut: cum Scipio, Milites rebelles alloquitur, utitur Figura Dubitationis, quæ in *sensu* consistit.

„ Apud vos quemadmodum loquar, nec consi-
 „ lium nec oratio suppeditat, quos, ne quo no-
 „ mine quidem appellare debeam, scio, Cives?
 „ qui à Patria vestra descivistis: an Milites? qui
 „ imperium auspiciumque abnuistis, Sacramen-
 „ ti Religionem rupistis: hostes? corpora, ora-
 „ vestitum; habitum Civium agnosco; facta,
 „ dicta, consilia, animos hostium video. *etc.* „

Jam qualescunque illæ sunt, at ad quam Classem unaquæque ex illis reduci debeat, parum interest, dummodo quæ, et quid sint, sciatur. Nos tamen ordinem aliquem in illis servare volentes, primo Figuras *Verborum*, deinde Figuras *Sententiarum*, definiemus, singulas autem exemplis illustrabimus illis, quæ celebres Institutionum Rhetoricarum Scriptores, è Cicerone aut aliunde collegerunt.

19. Quæ igitur sunt Figuræ VERBORUM.

*Repetitio, Conversio, Complexio, Con-
 duplicatio, Traductio, Gradatio, Synonymia,
 Multiplicatio, Reticentia, Dissolutio, Adjun-*

ctio, Disjunctio, Anominatio, Similiter cadens, Similiter desinens, Correctio, Commutatio.

REPETITIO, *Est Figura, qua ab eadem voce aliquoties inchoatur Oratio. Vg: " Nihil,*
ne te nocturnum praesidium Palatii, nihil ur-
bis vigiliae, nihil timor populi, nihil consen-
sus bonorum omnium, nihil hic munitissimus
Senatus habendi locus, nihil horum ora vul-
tusque moverunt? Cicero in Catilinam.

CONVERSIO, *Est Figura, per quam in idem verbum desinunt commata, vel membra periodi. Vg: " Paenos Populus Romanus justitia vicit,*
armis vicit, liberalitate vicit. Cicero in Vati-
nium. Item: " Doletis tres exercitus Populi
Rom: interfectos? interfecit Antonius. Desi-
deratis Clarissimos Cives? eos eripuit vobis
Antonius. Authoritas hujus Senatus afflicta
est? afflixit Antonius. Cicero in Antonium.

COMPLEXIO, *Est Figura, qua in aliquot membris aut periodis, primum et ultimum verbum repetitur. Vg: " Qui sunt, qui saedera ru-*
perunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui crude-
le bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses.
Qui sunt qui Italiam deformaverunt? Cartha-
ginenses. Qui sunt qui sibi postulant ignosci?
Carthaginenses. Aactor ad Herennium.

CONDUPLICATIO, *Est tunc, quando vox aliqua, in eadem sententia duplicatur. Vg:*
Erit, erit illud profecto tempus. Cicero pro
Milonc. Item: " Tuas Pompeji, tuas inquam

„ suspiciones perhorrescimus. *Cicero ibidem.*
 „ Item Quid Cleomenes facere potuit, quid in-
 „ quam facere potuit? *Cicero in Verrem.*

TRADUCTIO, fit: cum eadem vox aliquo-
 ties in una sententia, sed diverso casu, vel
 numero ponitur. Vg: " Eum tu hominem ap-
 „ pellas, qui si fuisset homo, nunquam hominis
 „ vitam tam crudeliter petiisset. *Auctor ad He-*
 „ *rennium.* Item: " Divitias sine divitum esse, tu
 „ vero virtutem praefer divitiis; nam si voles
 „ divitias cum virtute comparare, vix satis ido-
 „ neae tibi divitiae videbuntur, quae virtutis pe-
 „ dissequae sint. *Idem Auctor.*

INCREMENTUM seu GRADATIO, Est Fi-
 gura, quando verbum, verba majoris semper
 energiae, excipiunt. Vg: " Facinus est vincire
 „ Civem Romanum, scelus verberare, parrici-
 „ dium necare, quid dicam in crucem tollere?
Cicero in Verrem. Item: " In urbe luxuries
 „ creatur, ex luxuria existat avaritia necesse est,
 „ ex avaritia erumpit audacia, inde omnia sce-
 „ lera et maleficia gignuntur. *Cic: pro Roscio.*

SYNONIMIA, Est verborum idem ferme si-
 gnificantium, ad majorem rei exprimendae vim,
 coacervatio. Vg: " Non feram, non patiar, non
 „ sinam. *Cic: in Catilinam.* Item: " Vos soli
 „ ignoratis? vos hospites in hac urbe versami-
 „ ni, vestrae peregrinantur aures? *Cicero pro*
Milone.

MULTIPLICATIO, seu POLISYNTHETON,
 Est figura, qua Oratio crebris conjunctioni-

bus abundat. *Vg:* " Me praeter caeteros, et
 ,, colit, et observat, et diligit. *Cic.*

RETICENTIA, tunc, est: quando verbum
 aliquod subauditur. *Cicero: Vg:* " Huncine
 ,, hominem, huncine impudentiam, huncine
 ,, nos audaciam? subauditur: serenus; *Item:*
 ,, Sermo nullus, nisi de te, subauditur: est.

DISSOLUTIO, Est Figura, cum demptis
 conjunctionibus, plura ponuntur commata, vel
 membra. *Vg.* " Vastarat Clodius Hetruriam,
 ,, multos sedibus, fortunis, ejecerat, instabat
 ,, urgebat, capere ejus amentiam Civitas, Italia.
 ,, Provinciae, Regna non poterant. *Cic. pro Mi-*
 ,, lone.

ABJUNCTIO, Est Figura qua, ad unum ver-
 bum plura referuntur commata, vel membra.
Vg: " Vicit pudorem libido, timorem audacia,
 ,, rationem amentia. *Cicero. Item:* " Nihil sibi
 ,, ex ista laude Centurio, nihil Praefectus, nihil
 ,, cohors, nihil turma decerpit. *Cic. pro Mar-*
 ,, co Marcello. *Item:* " Quid tam commune, quam
 ,, spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuan-
 ,, tibus, littus ejectis? *Cic: ad Brutum.*

DISJUNCTIO, Est Figura adjunctioni con-
 traria, qua unicuique Orationis membro suum
 verbum adjungitur, cum unum toti Orationi
 possit sufficere. *Vg:* " Haec studia adolescentiam
 ,, alunt, senectutem oblectant, secundas res or-
 ,, nant, adversis per fugium ac solatium prae-
 ,, bent, delectant domi, non impediunt foris,
 ,, pernoctant nobiscum, perigrinantur, rusticantur.
 ,, tur. *Cic: pro Arch: Poeta. Item:* " Homerum

„ Colophonii suum esse Civem dicunt, Chii su-
 „ um vendicant, Salamini repetunt, Smyrnaei
 „ vero suum esse affirmant. *Cic: Ibidem.*

ANNOMINATIO, seu PARONOMASIA, *Est
 lusus vocum similium, in sensu dissimili, Vg:*
 Consul ipse parvo animo et pravo. *Cic: Item:*
 „ Hujus innocentiae in calamitosa fama, quasi
 „ in aliqua pernicioosa flamma, atque incendio
 „ subvenite. *Cic. Item: " Ex Oratore arator fa-*
 „ ctus. *Cic. Hac figura nimium pueriliter ple-*
 „ rique apud nos abusi sunt, rarissimè proinde,
 aut vix adhibenda.

SIMILITER CADENS, *Est figura, cum in
 eosdem casus, vel verbi tempora, plura membra
 desinunt. Vg: Hunc ego non admirer, non di-*
 „ ligam, non omni ratione defendendum pu-
 „ teni? *Cicero.*

SIMILITER DESINENS. *Est tunc, cum duo
 vel plura membra, similes habent exitus. Vg:*
 „ Eius voluntatibus non modo Cives assense-
 „ runt, socii optemperarint, hostes obedierint,
 „ sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.
 „ *Cicero pro Lege Manilia.*

CORRECTIO, *fit: quando verbum prola-*
tum corrigimus, et aliud loco ejus substitui-
mus, Vg: " Diu vixit, non diu vixit, sed diu
fuit. Seneca. Item: " Quas ille Leges, si leges
 „ nominandae sunt, ac non potius faces urbis
 „ et pestes Reipubl: fuerit impositurus nobis
 „ omnibus. *Cicero pro Milone.*

COMMUTATIO. *Est figura, qua in sen-*
sus diversum commutantur eadem verba. Vg:

„ Magistratus est lex loquens, lex autem, mihi
 „ tus est magistratus *Cic: de Legibus. Item:*
 „ Mavult commemorari de se: cum posset per-
 „ dere, pepercisse, quam, cum parcere potuis-
 „ set, perdidisse. *Cicero pro Quintio.*

20. Quae sunt figurae SENTENTIARUM?

Antithesis, Interrogatio, Subjectio seu Responsio, Commoratio seu Expositio, Prolepsis seu Occupatio, Retractatio, Dubitatio, Apostrophe, Prosopopoeja, Hipotiposis, Ethopoeja, Sustentatio, Reticentia seu Aposiopaeisis, Praeteritio, Concessio, Parenthesis, Deprecatio vel Obsecratio: Exclamatio, seu Epiphonema, Communicatio, Execratio, Ironia, Hyperbole, Congeries, Definitio, Sententia.

ANTITHESIS, *Est figura, qua aut verba verbis, aut sententiae sententiis oppositae proferuntur. Vg.* ” Ex hac parte pudor pugnat,
 „ illinc petulantia, hinc pudicitia, illinc stuprum,
 „ hinc honestas, illinc turpitude, hinc fides, il-
 „ line fraudatio, hinc continentia, illinc libido,
 „ denique aequitas, temperantia, fortitudo, pru-
 „ dentia, virtutes omnes certant cum iniquita-
 „ te, cum luxuria, cum temeritate, cum vitiis
 „ omnibus, postremo copia cum egestate, bona
 „ ratio, cum perdita, mens sana cum amentia.
 „ etc. *Cic. in Verrem. Item:* „ Habuit ille sicut
 „ meminisse vos arbitror, permulta maxima-
 „ rum non expressa signa, sed adumbrata virtu-
 „ tum. Utebatur hominibus improbis multis,

„ et quidem optimis se viris deditum esse simu-
 „ labat. Erant apud illum illecebrae libidinum
 „ multae, erant etiam industriae quidam stimu-
 „ li ac labores. Flagrabant vitia libidinis apud
 „ illum, vigeabant etiam studia rei militaris.
 „ Quis clarioribus Viris quodam tempore ju-
 „ cundior? quis turpioribus conjunctior? Quis
 „ Civis meliorum partium aliquando? Quis te-
 „ trior hostis huic Civitati? Quis in volupta-
 „ tibus inquinatior? Quis in laboribus patien-
 „ tior? Quis in rapacitate avarior? Quis in lar-
 „ gitione effusior? Illa vero, Judices, in illo ho-
 „ mine mirabilia fuerunt, comprehendere mul-
 „ tos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus
 „ communicare quod habeat, servire temporibus
 „ suorum omnium, pecuniâ, gratiâ, labo-
 „ re corporis, scelere etiam, si opus esset, et
 „ audacia, versare suam naturam, et regere ad
 „ tempus, atque hoc illuc torquere, et hecte-
 „ re; cum tristibus severe, cum demissis jucun-
 „ de, cum senibus graviter, cum juventute co-
 „ miter, cum facinorosis audacter, cum libidi-
 „ nosis luxuriosè vivere. *Cicero pro Coelio de*
 „ *Catilina.*

Nemo faecundior, feliciorque Plinio, in An-
 tithesibus in *sensu* quae apud eum crebrae ob-
 servantur. Numero *Panegyrici 21mo*, laudat
 Trajanum quod Patris Patriae nomen diu re-
 cusaret, quamvis illud meruerit, et quod ac-
 ceptum, dignè et laboriosè gerat. Nonne his
 „ tantisque meritis, novos aliquos honores: no-
 „ vos titulos merebare? At tu etiam nomen

„ Patris Patriae recusabas. Quam longa nobis
 „ cum modestia Tua pugna? quam tardé vici-
 „ mus? nomen illud, quod alii primo principa-
 „ tus die, ut Impéroris et Caesaris, receperunt.
 „ Tu usque eo distulisti, donec tu quoque be-
 „ neficiorum tuorum aestimator parcissimus,
 „ jam Te mereri satereris. Itaque soli omnium
 „ contigit Tibi, ut Pater Patriae esses, antequam
 „ fieres. Eras enim in animis et Judiciis nostris.
 „ Quod quidem nomen qua benignitate, qua
 „ indulgentia exerces! ut cum Civibus tuis, qua-
 „ si cum liberis Parens, vivis! ut reversus Im-
 „ perator, qui privatus exieras, agnoscis, agno-
 „ sceris! Eosdem nos, eundem Te putas: par
 „ omnibus, et hoc tantum caeteris major, quia
 „ melior.

Haec Figura pulcherrima et jucundissima
 est, dummodo in ea levitas, abusus, et nimium
 caveatur. Apud Poétas quoque frequenter usur-
 pari solet, et mirum in modum Poésim ornat,
 ut patet in hoc sequenti carmine, quod dignum
 est, ut Adolescentes memoriae mandent. Porro
 hoc carmen recitatum fuit Carolo. V. Impera-
 tori cum ex culmine Panthei Romam devasta-
 tam lustraret.

*Qui veterem in veteri quaeris novus advena Romam,
 Et Romae in Roma nil reperis media.
 Aspice murorum moles, disjectaque saxa:
 Obrutaque ingenti vasta Theatra situ.
 Haec sunt Roma. Viden? velut ipsa cadavera tantae
 Molis, adhuc spirent imperiosa minas?
 Vicit ut haec mundum, voluit se vincere. vicit.
 A se non victum ne quid in orbe foret.*

*Albula Romani pertransit Nominis index,
 Quique etiam rapidis fertur in aequor aquis.
 Disce hinc, quid possit Fortuna; immota labascunt,
 Et quae perpetuo sunt agitata, manent.*

Nec minus ex Anthitesibus suspicitur Carmen sequens: Regiae Principis Polonae *Clementinae Sobiesciae*, in conclavi Arcis *Aenipontinae* relictum, cum inde clam evasisset, ubi eam inclusam Carolus VI. Imperator detinuerat, ne *Stuardo* Regi Angliae, Romae, (obstante Domo Regia *Hannoverana*) connubio locaretur.

*Me jubet ad Patrios Caesar remeare Penates.
 Ast amor ad sponsum me jubet ire meum.
 Quid faciam? frustra est Dominis servire duobus:
 Quis vincet? vincens omnia, vincat amor.
 Scilicet imperio quamvis sit magnus uterque,
 Hic tamen imperium Caesare majus habet.*

INTERROGATIO? *Frequentior omnino fere, caeteris omnibus figura, quâ Orator id quod simpliciter dicere poterat, interrogat, non tam interrogandi, quam urgendi gratia: V.g.* "Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas, quid optabas?" *Cicero pro Ligario.*

Quandoquidem ea quae dicuntur cum interrogatione, majorem vim habere solent, quam quae sine adminiculo Interrogationis, tranquillè proferantur, proinde hujus figurae non nimius

(nam omne nimium vertitur in vitium) nec continuus, sed frequens illius usus Adolescentibus inculcari debet, monendique saepius, ut quod simpliciter enuntiarint, Interrogatione acuant, ac elevent. Nam si dixisset Cicero Catilinae: *Patere Consilia tua sentis: nemo nostrum ignorat, quid proxima, quid superiore nocte egeris, etc.* Certè non ita Catilinae aliorumque animos perstrinxisset, quam cum interrogando sic ursit: „*Patere consilia tua non sentis? constrictam jam horum omnium conscientia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid superiore nocte egeris? ubi fueris? quos convocaveris? quid consilii ceperis? quem nostrum ignorare arbitraris? Prohent itaque, faciantque similiter Adolescentes. Id nempe: quod, unum post aliud, dicturi in Oratione, positurique sunt, interrogationibus urgeant; et non parvum in tali Elocutione discrimen animadvertent.*

SUBJECTIO, seu RESPONSIO? *Est figura qua Orator vel interrogat seipsum et respondet sibi, vel: cum alium interrogavit, non expectat ejus responsum, sed ipse aut responsum subjicit, aut interrogationem alia interrogatione retorquet. Vg. „ An domus tibi deerat? at habebas. An pecunia? at abundabas. An arma? at non ita pridem ad te missa fuerant. Cicero. Item: „ Quid tam novum, quam adolescentulum privatum, exercitum difficili Reipubl: tempore, conficere? confecit. Huic praeesse? praefuit. Rem optimè ductu suo gere-*

„ re? gessit. Quis tam praeter consuetudinem,
 „ quam homini peradolescenti, cujus à Senato-
 „ rio gradu aetas longè abesset, Imperium at-
 „ que exercitum dari? Siciliam permitti at-
 „ que Affricam? bellumque in ea administran-
 „ dum? fuit in his Provinciis singulari innocen-
 „ tia, gravitate, virtute; bellum in Affrica ma-
 „ ximum confecit, victorem exercitum depor-
 „ tavit. *Cic: pro Lege. Manil.*

„ *Item:* Quid vis amplius, quid insequeris,
 „ quid oppugnas? Qua in re voluntatem tuam
 „ à me laedi putas? Ubi tuis commodis officio?
 „ quid tibi obsto? Si spoliatorum causa, vis homi-
 „ nem occidere? Jam spoliasti. Si inimicitia-
 „ rum? Quae sunt tibi inimicitiae cum eo, cujus
 „ antea praedia possedisti, quam ipsum cognò-
 „ sti? sin metuis? ab eone aliquid metuis,
 „ quem vides ipsum ab se se, tam atrocem in-
 „ juriam propulsare non posse?

Item. Cicero Murenæ exilium per hanc
 figuram, sic deprecatur. „ Si, quod Jupiter omen
 „ avertat, hunc vestris sententiis affligeritis:
 „ quo se miser vertet? Domumne? ut eam ima-
 „ ginem clarissimi Viri Parentis sui, quam pau-
 „ cis ante diebus laureatam in sua gratulatione
 „ conspexit, eandem deformatam ignominia lu-
 „ gentemque videat? An ad Matrem? Quae mi-
 „ sera modo Consulem osculata Filium suum,
 „ nunc cruciatur et sollicita est, ne eundem
 „ paulo post spoliatum omni dignitate conspi-
 „ ciat? Sed quid ego matrem aut domum ap-
 „ pello, quem nova pœna legis, et Domo et pa-

„ rente et omnium suorum consuetudine con-
 „ spectuque privat? Ibit igitur in exilium mi-
 „ ser? quo? ad Orientisne partes? in quibus
 „ multos annos Legatus fuit, et exercitus du-
 „ xit, et magnas res gessit? at habet magnum
 „ dolorem: unde cum honore discessit, eodem
 „ cum ignominia reverti. *Divus Hieronymus*
 „ Ruffinum ad vitam Eremiticam adhortatur:
 „ Quid agis Frater, in saeculo, qui major es
 „ mundo? Paupertatem times? beatos pau-
 „ peres Christus appellat. Pavore terreris? at
 „ nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo
 „ cogitas? sed fides famem non timet. Super
 „ nudam metuis humum membra jejuniis exe-
 „ sa collidere? sed Dominus in cruce jacet.
 „ Squallidi capitis terret inculta caesaries? sed
 „ caput tuum Christus est. Terret te infinita e-
 „ remi vastitas? sed tu Paradisum mente de-
 „ ambula. Delicatus es miles, si vis et gaudere
 „ cum saeculo, et regnare cum Christo. Ani-
 „ madvertant in his exemplis Adolescentes, quam
 „ haec sit elegantissima Figura.

COMMORATIO seu EXPOLITIO:

*Est Figura, cum eundem sensum variis modis
 versamus, ut altius in auditorum animis defi-
 gatur, seu eum rem unam aliter atque aliter
 dicere videmur, et revera dicimus, sed eam
 novo quodam semper modo exprimimus. V.g.*
 „ O! miserum te si haec intelligis, miseriorem si
 „ non intelligis; hoc literis mandari, hoc me-
 „ moriae predi, hujus rei ne posteritatem qui-

„ dem omnium saeculorum immemorem fore. Cic. in Verrem. *Ista tria: hoc literis mandari, hoc memoriae prodi, hujus re ne posteritatem quidem immemorem fore:* idem significant, sed unum aliud melius explicat. Eusebius Emis-
 „ nus de Infantibus ab Herode caesis, vult id di-
 „ cere: *Quod Infantuli in primo vitae aditu, vi-*
 „ *tam pro Christo amiserint.* Vide quam idem
 „ prorsus variis modis exponit. „ Quam beata,
 „ inquit, aetas, quae nondum Christum po-
 „ test eloqui, et jam pro Christo meretur in-
 „ terfici: nondum opportuna vulneri, et jam
 „ idonea passioni: quam feliciter nati, quibus
 „ in primo nascendi limine aeterna vita obviam
 „ venit. Immaturi quidem videntur ad mortem,
 „ sed feliciter moriuntur ad vitam. Vix dum prae-
 „ gustaverunt praesentem, cum statim transeunt
 „ ad futuram. Nondum ingressi infantium cu-
 „ nas, jam perveniunt ad coronas. Rapiuntur
 „ quidem à complexibus matrum, sed reddun-
 „ tur gremiis Angelorum.

Duo haec sensa: *Qui negat pacem bello praestare, nihil humani in eo est:* Item *Bellum servituti praeferendum esse:* ut melius animis in-
 „ primantur, ita expoliret Orator: „ Pacem bello
 „ praestare, is nisi, qui humanitatem exuerit, du-
 „ bitabit. Qui tumultus bellicos quieti et otio
 „ Civium praefert, pestis et flamma Reipubl;
 „ parricida Patriae est. Qui sanguine, caede, vul-
 „ neribusque oblectatur, feras inter et bruta,
 „ non inter homines eum nasci oportuit. Cai
 „ sola in armis voluptas, quemque in Civitate

„ vitae tranquillae taedet, uti hostis humani gene-
 „ ris, è societate civili proscribendus est. Conser-
 „ vatae pacis gloria, bellicae laudis et gloriae,
 „ trophaeis ac triumphis, longè praeferranda est.
 „ Qui ita sentit, rectè sentit. At nec illi qui-
 „ dem condemnandi sunt, qui ignominiosae paci
 „ justum bellum antefecerunt. Belli incommo-
 „ da potius, subeunda sunt, quam servitutis.
 „ Peracerbum est, pacem, rerum optimam, amit-
 „ tere, sed turpissimum est, servire. Quid volu-
 „ ptatis in molli est culcitra, si in ea compedi-
 „ bus et ferro onustus jaceas? Quid vero in-
 „ terest? an bello victus, an in pace mancipii
 „ loco sis habitus? Illud honesti aliquid refert,
 „ hoc turpitudini junctum est. Etiam vel capi,
 „ acieque succumbere fortium est, subdi, igna-
 „ vissimorum. Servum è libero, tacite patienter-
 „ que fieri, faeda ignavia est. Ut quietus tran-
 „ quillusque sis, tanti est? ut liber, hoc ni-
 „ hili? Quid defendas? si libertatem defen-
 „ dendam non putes? etc.

Haec idem fere sunt, sed Adolescentes vi-
 deant et utilitatem et necessitatem hujus Figu-
 rae. Pleraque enim bene cogitata tamdiu aliter
 atque aliter explicanda sunt, donec bene ab au-
 dientibus concipiantur. Qua tamen in re omne
 nimium vitandum est, ne in mutiloquentiam, ac
 ineptias, Oratio desinat.

Adhuc pro majori hujus figurae intelli-
 gentia, cogitationem hanc: *Vitam nostram som-
 num videri*, expoliamus. „ Humana haec flu-
 „ xa, inania, evanida si cogites, dubitabis for-

„ tasse: rectiusne vivimus, cum dormimus, an
 „ cum nobis vigilare videmur. Quid interest
 „ inter somniorum, diurna-que, imagines? u-
 „ traeque transeunt, utraeque evanescunt. Ex-
 „ pergisci videmur: sed quando potius? an
 „ cum claudimus, an cum oculos aperimus?
 „ illa noctu, haec die, utraque pereuntia, et ca-
 „ duca visuri? male multa in somno ratiocina-
 „ ri nos deprehendimus, et quam ineptè, quam
 „ falso, quam stultè plura ratiocinamur vigi-
 „ les? Illudimur somniantes? an vero ab iis-
 „ dem rebus humanis, vel extra somnum non
 „ laede illudimur? Dormiendo, vigilando, judi-
 „ cia nostra, errores continui sunt, ut mane
 „ cum diem ordinur, falsa vanaque esse simu-
 „ lacra, quae somniavimus, agnoscimus, ita
 „ aeternum cum ordiemur diem, vana et falsa
 „ omnia quaecunque praecessere, proculdubio
 „ agnosceamus. Vivimus ergo somniantes, et so-
 „ mnamus viventes, ut cum Poeta quaerere à
 „ nobis diu noctuque possimus: *et sunt quae lu-
 „ ce cernimus? an longi trahitur fabula somni?
 „ annos vivimus? an suam rerum pictus habet
 „ cultus imaginem?* Haec omnia, ut vides, eae-
 „ dem fere cogitationes sunt, sed diversimodè
 „ explicatae.

PROLEPSIS, seu OCCUPATIO? Est
tunc, cum id quod obiici potest, Orator occupat,
et sibi obijcit. Ita Cic: pro Arch: Poët: postquam
in sumnis Reipbl: Vixis, literas et studia com-
mendasset, cum videret id sibi obiici posse, nùm

omnes Clarissimi in Republ: Viri, eruditi fuerunt? hanc objectionem occupat, et respondet.

„ Quæret quispiam, *inquit*, quid? illi summi Viri, quorum virtutes literis proditæ sunt, istane doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina naturæ ipsius habitu propè divino, per seipsos et moderatos et graves extitisse fateor: atque illud adjungo, sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atquæ idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam, conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solere existere. Haec Figura per frequens est, quoties adversariorum rationes refellendæ sunt, hisque sere modis inchoari solet. *Forsitan quaeretis: etc. Forte dicet quis? etc. Etiam dicere audebis? etc. At sunt qui dicant? etc. Sed quæ exaudio, dissimulare non possum? etc. At ne quis ex vobis dubitet? etc. Dicant multi? etc. Reprehendor igitur? etc. At jam quæ contra hæc dici solent, videamus? etc.*

RETRACTATIO, *Est figura qua Orator id quod protulit, retractat. Ut cum Cicero Catilinæ emendationem et profectionem, ex Urbe suaserit, retractat id subito, et dicit. „ Quamquam quid loquor? te, ut ulla res frangat,*

„ tu ut unquam te corrigas, tu, ut illum
 „ exilium cogites? Utinam tibi istam mentem
 „ Dii Immortales donarent. *Idem pro Marco*
Marcello, Sententiam de vita diuturna, ita
 „ corrigit. „ Quid est enim hoc ipsum diu vive-
 „ re, in quo est aliquid extremum, quod cum
 „ venerit, omnis praeterita voluptas pro nihilo
 „ est; quia postea nulla futura sit. *Idem pro*
Roscio. Quae convivia in hujusmodi honesta
 „ domo? si domus haec habenda est potius,
 „ quam officina nequitiae, et diversorium flagi-
 „ tiorum omnium.

DUBITATIO, *Est Figura qua Orator fingit: nescire se quid dicere debeat, aut in quam partem animum convertat. Vg.* „ Quid primum
 „ querar, aut unde potissimum exordiar, aut
 „ quod, aut à quibus auxilium petam: Deorum-
 „ ne Immortalium? Populine Romani? Vestram-
 „ ne, qui summam potestatem habetis, hoc
 „ tempore ^{fidem} implorem? *Cic. pro Roscio*.

Formulae hujus Figuræ vulgares: *Nunc ego vos consulo, quid mihi faciendum putetis. Quid sentiendum, quid discernendum, quid dicendum, tacendumve hic sit, prorsus nescio. Animo me haerere videtis. Cui sententiae, cui auctoritati hic mihi esse cedendum putatis?* etc.

APOSTROPHE, *Est sermonis conversio ad aliquem, ut, cum Orator vel Deum, vel homines absentes, vel etiam res inanimatas alloquitur. Vg.* „ Vos, vos appello fortissimi Viri, qui
 „ multum pro Republ: sanguinem effudistis,

„ vos in Viri et Civis afflicti appello periculo
 „ Centuriones, vosque milites etc. *(Cicero pro*
 „ *Milone.* Vos enim jam Albani tumuli atque lu-
 „ ci, vos inquam imploro, atque obtestor, vos-
 „ que Albanorum obrutae arae etc. *Idem ibi-*
 „ *dem.* „ Tum tu Jupiter hunc et hujus socios à
 „ tuis aris caeterisque templis ac tectis urbis, à
 „ moenibus, à vita, fortunisque omnium civi-
 „ um arcebis. etc. *Idem in Catilinam.* „ O! na-
 „ tiones, urbes, populi, Reges, Tetrarchae, te-
 „ stes Cnei Pompeii, non solum virtutis in bello,
 „ sed etiam religionis in pace, vos denique
 „ multae regiones imploro, et sola terrarum ul-
 „ timarum, vos maria, portus, Insulae, littora-
 „ que! quae enim ora, quae sedes, quis locus,
 „ in quo non extent hujus, tum fortitudinis, tum
 „ vero humanitatis, tum animi, tum consilii
 „ impressa vestigia? *Idem pro Calbo.*

PROSOPOPAEJA, *Est figura, qua aut vi-*
ta functum, aut vivum absentem, vel praesentem,
aut etiam res quae sensu carent, Orator inducit
loquentes: Vg. „ Puta itaque ex illa arce cae-
 „ lesti, Patrem tuum dicere: cur te, filia, „ tam
 „ longa taedet aegritudo? cur in tanta rei igno-
 „ rantia versaris? ut inique actum judices cum
 „ Filio tuo, quod in taedium versus vitae, ipse
 „ ad majores se recepit suos? nescis quantis for-
 „ tuna procellis disturbet omnia, etc. *Seneca ad*
Martiam. „ Scilicet tota, si una voce loqueretur,
 „ haec diceret: Quot auri, quot argenti, quot
 „ armentorum in meis urbibus, sedibus, delu-

„ bris, ea tu mihi C. Verres eripuisti, atque
 „ abstulisti, etc. *Cicero in Verrem.*

HYPOTIPOSIS, Est figura, qua res sic
 exprimuntur verbis, ut geri potius et spectari
 coram audiuntur, quam audiri. Vg. „ Veheba-
 „ tur in essedo Tribunus plebis, lictores laure-
 „ ati antecedeabant, inter quos aperta lectica
 „ mimus portabatur, sequebantur rhedam cum
 „ lenonibus, comites nequissimi. etc. *Cic. Phi-*
 „ *lip 2da de Marco Antonio.* „ Oro atque obse-
 „ cro vos, qui nostis, vitam utriusque inter se
 „ conferte, qui non nostis, faciem utriusque
 „ considerate. Nonne ipsum caput, et super-
 „ cilia penitus abrasa olere malitiam, et cla-
 „ mare calliditatem videntur? nonne ab imis
 „ unguibus usque ad verticem summum, si
 „ quam conjecturam affert hominibus tacita
 „ corporis figura, ex fraude, fallaciis, menda-
 „ ciis constare videtur, qui id circo capite et
 „ superciliis semper est rasis, ne ullum pilum
 „ Viri boni habere videatur. *Cic. pro Comed.*

Idem Cicero. Gabinium effoeminatum sic
 describit: „ Processit, vini, somni, stupri plenus,
 „ madenti coma, composito capillo, gravibus
 „ oculis, fluentibus buccis, pressa voce, et te-
 „ mulenta. *In Verrem idem Cicero:* Proce-
 „ dit iste repente è praetorio, inflammatus scelere,
 „ furore, crudelitate, in forum venit. Navarchon
 „ vocari jubet, qui cum nihil metuerent, suscipi-
 „ rentur nihil, statim accurrunt. Iste hominibus
 „ miseris innocentibusque, iniici catenas ince-
 „ rat; implorare illi fidem Populi Romani et

„ quare id faceret, rogare. Tum iste hoc cau-
 „ sae dicit, quod classem praedonibus prodidis-
 „ sent. Fit clamor et admiratio populi, tantam
 „ esse in homine impudentiam. etc.

Nihil hac figura in describendis quibus cun-
 que rebus, animatis, inanimatis, factis, casibus,
 eventibus, Oratoribus frequentius, magisque
 necessarium. Insipida ac parum grata Oratio est,
 quae ea, quae diligentissime describenda sunt,
 negligit atque praeterit.

ETHIOPAEJA, *Est figura, qua vita, mores,*
indolesque alicujus depinguntur. Hoc ab hypo-
 typosi differt, haec figura, quod illa exteriora
 et sensibus subjecta describat, Ethopaeia vero
 intima animi, mentisque imaginem proponat.
 Vide superius Ciceronis exemplum, in Anti-
 thesi, de Catilina. In sequenti autem exemplo
Oliverii adverte quam sit graphicè *Cromvelli*
 depicta imago: „ Cromvellus tyrannorum for-
 „ tunatissimus, divinarum humanarumque le-
 „ gum et rerum contemptor, tanto magis im-
 „ pius, quanto ad tegenda religione flagitia, nemo
 „ illo callidior. Mahomete ipso hoc versutior,
 „ quod ille stolidis Saracenis, Arabibus: hic Bri-
 „ tannis, qui caeteris gentibus mentis acumine
 „ se se praeferre ament, coelestem vim quandam
 „ sibi inesse persvaserit, ac superstitione impo-
 „ suerit. Quo audacius sceleratiusque aliquid ag-
 „ gressurus esset, oculos in coelum torquere,
 „ preces funditare, extra se rapi. labris tremen-
 „ tibus quiddam mussitare, vultu mutari, pallie-
 „ re, incendi, DEO colloqui, inde afflari, os,

„ manus, pectus, corpus contorsionibus defor-
„ mare: tum verba quaedam male connexa, quae
„ parum aut nihil significarent, junctaque simul
„ furentem ac mente motum potius arguerent,
„ mysterii instar effari; agenda ita edicere, vix
„ ut aut ne vix quidem intelligerentur. Haec
„ saepe oraculi loco habita. Privatus obscurique
„ nominis eques, majora se semper animo agi-
„ tans, incredibili ambitione, arrogantia pari,
„ praeterquam Troni Britannici fastigio, spes
„ immensas definiri haud passus. Audacissimus
„ praeterea, et ad omnem nequitiam paratissi-
„ mus, impetu, furore, protervia, vel difficilli-
„ ma frangere, ac superare solitus. Cunctis me-
„ tui, soli anxius placere amarique militi, ut-
„ pote per impunitatem, ac per effraenem in
„ omne scelus, rapinas, et spolia civium, licen-
„ tiam, sibi intimè obstricto. Ea ausus in popu-
„ lum, in pares, in summos, quae crudelitas et
„ tyrannis vix veteribus barbaris nota, aggredi
„ haesitaret. Caedes regum, pessimis ac ubique
„ gentium execratis hominibus, res non inso-
„ lita: Sed iudicium, ac per sententiam suppli-
„ cium sui Regis, rarum, et inhumani hujus
„ monstri facinus est proprium. Regnum, quod
„ scelere quaesit, absolutius et insolentius te-
„ nuit apud Anglos, quam fas esset, apud faedè
„ serviles quoscunque Orientis populos. Nemo
„ humanae libertati impotentius, impudentius,
„ turpiusque illusit. Diceres non Britannos,
„ nec iis ortos, nec horum, qui sunt, genus
„ fuisse, sed huic Domino mancipia quaedam in

„ Insulas fortuito ejecta. Justa Regum pote-
 „ stas invisâ iis est, imperiosissima circulatori
 „ ac fere syderato insanoque homini undequa-
 „ que paruerunt. Regis ille, cuius ingenti li-
 „ bidine conflagrâbat, titulum et insignia, su-
 „ mere non fuit ausus; nam maximam cupidi-
 „ tatem major metus fraenabat: sed Protector-
 „ ris Angliae nomine, nihil est in toto imperii
 „ regniq; ambitu, quod ad se non traxerit. Id
 „ quod mirere; summâ Regum injuriâ, Regum
 „ nullum suis e pernotum, ne Patrem quidem
 „ Reginae, caesi à carnifice Regis, V duae. Tanta
 „ potius hominis reverentia et timor, ut Galli,
 „ Hispani, Batavi, ejus amicitiam et gratiam
 „ certatim aucuparent. Suos inter, more Ty-
 „ rannorum, de vita, usque ad ineptias timi-
 „ dus: nulla non nocte, nullo non loco mor-
 „ tem criminibus debitam opperiri visus. Inde
 „ adeo cautus, ut Dyonisiorum suspicacem
 „ semper, et saepius ridiculam servandae ani-
 „ mae diligentiam modosque superarit. Quam-
 „ obrem eò tandem pervenit, ut, si suspicionem
 „ veneni non satis confirmatam demâs, et mor-
 „ bo, et in proprio lecto, senectuti propior,
 „ diem supremum obijerit, ac ad Tartara sicca
 „ morte descenderit: cadavere uncis et patibulis
 „ substracto, quod ejus jussu, loco penitus igno-
 „ to, sepultum. *etc.*

„ Joannis *Krasinscii, Ethopaeia.* „ Nostis ju-
 „ venem et anastis, nam nosci et non amari
 „ non potuit. E religione vivere, quod solum
 „ nunc illi prodest, depravato hoc saeculo, sibi

„ statuit, et ita vixit. Studiis optimarum rerum,
„ libertate jam Adolescenti, quid de se statue-
„ ret, à suis relicta, in Academia semet sponte
„ affixit. Inde egressus, libris, excellentissi-
„ mis usus magistris, plus temporis operaeque
„ quotidie iis dedit, quam qui maximo cuivis
„ oblectamento. Gravitas in eo morum ne ae-
„ quales quidem offendit, naturae enim insita
„ fuit et inde profecta. Comitatus, amoenitate,
„ urbanitate, facetiarum ex hilaris indole flu-
„ entium, acumine et prudentia, quibus cum
„ versabatur, semper jucundissimus. Molestiam
„ dum quam sensit, domi secum digessit, aut
„ pectore clausit, nec amicos aegritudine ani-
„ mi, ut multis id accidit, unquam ille afflavit.
„ Semper sui similis et idem; animo ad benefa-
„ ciendum facto, nulli openi dum potuit, nulli
„ studium aut obsequium; recusavit, indigenti-
„ bus et miseris ultro etiam obvius. E Christi-
„ anis principiis, et ad praescriptas à Philoso-
„ phia regulas, liberalis. In rei familiaris ra-
„ tione diligentissimus: oeconomiam in praediis
„ senilem diceres. Ut lucri, ita jacturae, ex
„ aleatoriis ludis, proinde et aeris alieni, aequè
„ semper hostis. Domi: ordo, parsimonia, et
„ splendor. Elegantiæ sectator, contemptor et
„ derisor luxus. Parasitis, adulatoribus, et pra-
„ vis inaccessus. Veri adeo amans, promissique
„ tenax, ut ne semel quidem sefellisset, quibus
„ maxime notus fuit, observaretur. Bonorum
„ et sapientium societatem perpetuo quaesivit et
„ fuit ab iis quaesitus, quod proborum conti-

„ nentiumque morum certissimum indicium
 „ est. etc.

SUSTENTATIO, *Est Figura, qua diu suspenduntur auditorum animi, donec aliquid inexpectatum subjiciatur. Ut cum Cicero, in Verrem, ait, Res delata ad istum. Statim, ut*
 „ par fuit, jussu ejus homines qui nominati fue-
 „ rant, comprehensi, adductique Lilibaeum. Do-
 „ mino (Leonidae) denunciatum est ut adesset.
 „ Causa dicta damnati sunt. Quid denique? quid
 „ censetis? Furtum fortasse aut praedam expe-
 „ ctatis aliquam? nolite usquequaque eadem
 „ quaerere: in belli metu furandi locus quis po-
 „ test esse? Etiamnum mihi expectare videni-
 „ ni, Judices, quid deinde factum sit, quod iste
 „ nihil unquam fecit sine aliquo quaestu atque
 „ praeda? Quid in ejusmodi re fieri potuit, quod
 „ commodum est? Expectate facinus, quam
 „ vultis improbum: vincam tamen expectatio-
 „ nem vestram. Nomine sceleris conjurationis-
 „ que damnati, ad supplicium traducti, ad pal-
 „ lum alligati, repente multis millibus homi-
 „ num inspectantibus soluti sunt, et Leonidae
 „ illi domino traditi. etc.

Aliud sustendandi Exemplum. „ Sed quis
 „ ille putatis, qui me tam saedè prodiderit, qui
 „ me apud Ministros Regios in invidiam vocavit,
 „ qui Principis gratiam mihi labefactare, etiam
 „ adimere nisus sit? qui sparsarum inter ami-
 „ eos de me calumniarum auctor fuerit? Ho-
 „ stis fuit, dicetis, vindictae cupiditate exarsit.

Parco

5. Parco illi si ita est, dolorem oblivione sepe-
 ,, lio. Sed per humanas Divinasque omnes re-
 ,, ligiones et juro, et testor: me nihil unquam
 ,, mali non modo illi intulisse, sed ne voluisse
 ,, quidem. Quis ergo ille? Sed credetis? sed
 ,, quaeso, fidemne apud vos inveniam? obstupe-
 ,, scetis certè. Amicus, Amicus fuit ille, quem
 ,, vos mihi etiam amicissimum fuisse semper
 ,, affirmastis, quem jam me vel silente, intelli-
 ,, gitis, etc.

RETICENTIA seu APOSIOPAESIS, *Est*
Figura, qua Oratio interrumpitur gravioris ali-
cujus affectus significandi gratia. Vg: „ Omnia
 ,, praeteribo quae mihi turpia dictu videbun-
 ,, tur, neque solum quid istum audire, verum
 ,, etiam quid me deceat dicere, considerabo.
 ,, Cicero in Verrem. Idem: „ Non obtundam
 ,, diutius aures vestras, jam dudum vereor, ne
 ,, Oratio mea aliena à Judiciorum ratione, et
 ,, quotidiana dicendi consuetudine esse videat-
 ,, tur: hoc dico, etc. Idem. Item: „ In singu-
 ,, lis si haereret Oratio mea, ita multa sunt et
 ,, magna, ut me vox potius, quam verbum, la-
 ,, tus, quam res dicentem deficeret. etc. etc.

Nota: jam nos superius Figuram *Reticentiae*
 recensuisse, ubi sermo erat de Figuris *verborum*.
 Haec tamen *Reticentia* cum illa superiori non
 confunditur, discrepatque omnino. Illa enim fit
 tunc: cum subauditur verbum aliquod, haec: cum
 sensus subicitur. Quare duplex est *Reticentiae*
 Figura; una ad Figuras *Verborum*, altera (haec

scilicet, quam mox exposuimus) ad Figuras *Sententiarum* referenda.

PRAETERITIO, *Est tunc, cum simulamus nos vel nescire, vel nolle dicere, quod maxime dicimus: Ut cum Tullius Pompejum laudans: ait: „Itaque non sum praedicaturus, Quirites, „ quantas ille res domi, militiaeque. terra marique, quantaque felicitate gesserit, ut ejus „ semper voluntatibus non modo Cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedi- „ rint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. Idem in Verrem: In stupris vero et „ flagitiis, nefarias ejus libidines commemorare pudore deterreor. Idem in Vatinius: Atque illud tenebrosissimum tempus ineuntis, „ aetatis tuae patiar latere. Licet impune per me, parietes in Adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris. Habet „ hoc praemium tua indignitas, ut adolescentiae turpitudine obscuritate et sordibus tuis tegatur. Idem Cic: de Provinciis Consularibus: „ Nihil dico nunc P. C. hominem ipsum relinquo. Itaque omnia illa et saepe audistis, et „ tenetis animis, etiamsi non audiatis praetermitto. Nihil de hac ejus audacia loquor, nihil de „ superbia, nihil de contumacia, nihil de crudelitate disputo. Lateant libidines ejus illae „ tenebrosae, de Provincia, quod agitur, id „ disputo.*

Formulae praetermittendi ex Tullio: *Praetereor. Non dico. Non commemoro. Non hic pro-*

fero. Non audietis à me. Non attingam. Sinite me hoc praeterire. Possem multa dicere etc. etc.

CONCESSIO? *Est Figura, qua Orator etiam aliquid iniquum, fiducia causae suae, adversario videtur concedere. Utitur hac figura Cicero pro Ligario contra Tuberonem, qui Ligarium accusaverat, quod contra Caesarem armatulusset, cum et ipse Tubero contra Caesarem militaret, " Habes igitur Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem rem, sed tamen ita confitentem: se in ea parte fuisse, qua Te Tubero, qua omni laude dignum Patrem tuum. Itaque prius de delicto vestro fateamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis. Idem pro Flacco, per diem Graecorum arguendo, hanc figuram adhibet: " Tribuo illis literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique etiam, si qua sumunt alia, non repugno. Testimoniorum religionem et fidem nunquam ista Natio coluit, totiusque huiusce rei quae sit vis, quae autoritas, quod pondus, ignorant. Idem Cicero pro Milone de Clodio. " Excitate, excitare eum, si potestis, ab inferis. , Formulae quaedam huius Figurae. *Esto verum, esto. Verum fac ut. Patior non molestè. Ut tibi concedam. Hoc do tibi et concedo. Sed sit id aliter, tamen. Facite ut libet, sed. Sed ierit, dixerit. etc. Sit ita sanè. etc.**

PARENTHESIS, *Est Figura, qua Orator breviter declinat à proposito, et aliquid in tra-*

ctum membri vel periodi, interjicit. Ita Cic:
 „ At etiam ausus es (quid est autem quod tu
 „ non audeas?) Clivum Capitolinum dicere me
 „ Consule plenum servorum armatorum fuisse.
 „ *Idem.* O! miserum, sive illa tibi nota non
 „ sunt, (nihil enim boni nosti) sive sunt, qui
 „ apud tales viros tam impudenter loquare.

Magnum vero vitium est, et vehementer orationem obscurat, si longiores sint Parentheses.

DEPRECATIO, vel OBSECRATIO. *Est Figura qua alicujus opem, fidem, misericordiam aut aliud quidpiam imploramus.* Vg: " Quid re,
 „ stat, nisi ut orem obtesterque Vos, ut eam mi-
 „ sericordiam tribuatis fortissimo Viro, quam
 „ ipse non implorat, ego autem repugnan-
 „ te hoc, et imploro et exposco. Nolite, si in
 „ nostro omnium fletu, nullam lachrymam aspe-
 „ xistis Milonis, si vultum semper eundem, si
 „ vocem, si orationem stabilem, ac non muta-
 „ tam videtis, hoc minus ei parcere. etc. *Cic: pro*
Milone. " Hoc metu nos Caesar per fidem, et
 „ constantiam, et clementiam tuam libera, per
 „ dexteram te istam oro, quam Regi Dejota-
 „ ro hospes hospiti porrexisti. *Cicero pro De-*
jotaro.

Formulae deprecandi: *Per Patriam omnes*
charitates complexam. Per Religionem Numi-
nis, Consilii, locique hujus Praesidis. Per quid-
quid sanctum sacrumque est. Per Conjugum, li-
berorum, amicorum benevolentiam, ac sacra
vincula. etc.

EXCLAMATIO seu EPIPHONEMA, *Est quaedam in Oratione vocis elatio, cum interjectione laetitiam, dolorem, admirationem vel quid simile significante, Vg: " O! diem illum funestum Senatui bonisque omnibus, Reipublicae luctuosum, mihi ad maerorem gravem, ad posteritatis memoriam gloriosum. Cic: Dii Immortales! non intelligunt homines quam magnam vectigal sit, parsimonia. Cicero: O! nox illa, quae pene aeternas Urbi huic tenebras attulisti. Cum Galli ad bellum, Catilina ad Urbem, conjurati ad ferrum et flammam vocabantur! O nonae illae decembres, quae me Consule fuistis, quem ego diem verè natalem hujus urbis, aut certè salutarem appellare possum. Cicero. "* Per Deos Immortales, quae ista tanta crudelitas est, tam fera immanisque natura! *Cicero. etc.*

Figura haec ad excitandos animorum motus utilissima, saepius etiam, ubi opus, adhibenda; prudenter tamen, nec nisi talibus praemissis in Oratione rebus, quae exclamationem mereantur, secus puerilis erit, ac inepta.

COMMUNICATIO, *Est Figura, qua Orator cum Auditore, vel quavis alia Persona, familiariter colloqui, eum compellere, consulere, ac cum eo conferre videtur. Ita Cicero pro Rabirio. "* Tu denique Labiene quid faceres tali in re ac tempore, cum ignaviae ratio te in fugam, atque in latebras compelleret, improbitas, et furor Saturnini in Capitolium accerseret, Consules ad Patriae salutem, et libertatem voca-

„ rent, quam tandem auctoritatem, quam vo-
 „ cem, cujus sectam sequi, cujus potissimum
 „ imperio parere velles?

Aliud Exemplum: ” At ego ut taceam,
 „ vos ipsimet Cives, quaeso, cogitate, à vobis-
 „ met quaerite, vobismet ipsis respondete: si
 „ nimirum Respubl: vacillat, ruit, si Patria capi-
 „ tur; Vos, Personae vestrae, jura vestra, fortu-
 „ nae, libertas, Conjuges, liberique vestri quo
 „ loco apud hostem victoremque erunt? Quid
 „ de vobis, hisque omnibus fiet? quid haeretis?
 „ quid dubitatis? fateamini, nolitis, velitis, vos
 „ mancipia, et vestra haec omnia, non vestra, sed
 „ victoris, fore. An enim Republicâ indefensâ
 „ aliter id vobis accidere potest? Ad id vero
 „ vos adhuc minimè perhorrescetis? Aut si vos
 „ aliquis tandem horror incedit, si palletis, si
 „ contremiscetis ad servitutis vocem, à quo jam
 „ salutem expectetis? Vosne ipsimet quid fa-
 „ cto opus sit, forte non intelligitis? Prodi-
 „ giis fortasse coelestibus vos ereptum iri spe-
 „ ratis? At nulli magis quam ignavis, Deos es-
 „ se infestos et hostes, probè nostis. Quid jam
 „ aliud? Siletis? Quod si vos ignoratis, ego
 „ verbum non amplius addam. Sed videmini
 „ mihi, à me, quid faciendum sit, audire vel-
 „ le. At ego id duntaxat à Vobis petam, ser-
 „ vine an liberi esse malitis? Sed quid est?
 „ Quaestione hac mea offendimini? Rem ple-
 „ nam esse iniuriae ac contumeliae, vultu, ocu-
 „ lis, frontibus, mihi offendere videmini? Inter-
 „ rogari à me, utrum servitatem libertati prae-

„ feratis, indignum vestra dignitate putatis? Sci-
 „ tote quaeso me non dubitantem id à vobis
 „ quaesisse, sed uti fortiam virorum ad tuendam
 „ libertatem, servituti collatam, animos magis
 „ magisque incenderem. Nec igitur opus est,
 „ ut ego hic de meo quidquam proferam: ar-
 „ mis scilicet, corporibus, vita, libertatem esse
 „ defendendam, in vestris, fortissimi Cives, ani-
 „ mis haec Consilia satis lego. Ad arma vero
 „ paranda, quo magis quam belli nervo pecunia
 „ Rempubl: egere, quis vestrum non videt?
 „ Et quem jam vestrum minus dare paeniteat,
 „ ne plus longè amittat? Imò vero quis ve-
 „ strum ultro partem honorum exiguam Reipubl:
 „ non offerat, ubi periclitatur totum?
 „ ubi omnia et Reipubl: et privata bona in cer-
 „ tissimo versantur discrimine? Hanc mentem,
 „ hoc ego vestrum consilium et vidi, et laudo.
 „ Nec monendi itaque quid expediat, nec co-
 „ hortandi mihi estis, meliores vos vobis offi-
 „ cii erga Patriam monitores etc.

Figura haec ad persuadendum perutilis.
 Ejus vulgariores formulae: *Nunc ego vos consu-
 lo. Quid mihi faciendum putetis. Quaero quid
 acturi sitis? Videte quid futurum sit, Satis quid
 facto opus sit, vos intelligere mihi constat. Meo
 vos consilio minime egere arbitror. etc.*

EXECRATIO seu IMPRECATIO? *Est fi-
 gura, qua Orator malum alicui imprecatur. Ut
 cum Cicero Philip: 13. ait: „ Quin tu abi, in
 „ malam pestem malumque cruciatum. etc.*

IRONIA, (relegata à nobis unà cum *Hyperbole*, quae mox sequitur, à Tropis ad Figuras) *Est figura, sensum indicans contrarium verbis.* Ut cum *Cicero in Verrem* ait: Non us-
 ,, que eò est improbus, non omnia eo in uno
 ,, sunt vitia, nunquam fuit crudelis, leniter ho-
 ,, minem clementerque accepit, etc. Quo lo-
 co crudelitatem Verris maximopere exagitat. La-
 bienus popularem, clementemque se esse asse-
 ruit. *Cicero pro Rabirio* hanc Labieni clemen-
 tiam sic Ironicè laudat. ,, Nam haec Tua, quae
 ,, te popularem clementemque delectant: J...
 ,, lictor, colliga manus, caput obnubila, arbo-
 ,, ri infelici suspendito; haec tu homo lenis ac
 ,, popularis libentissimè commemoras, quae non
 ,, hujus libertatis, mansuetudinisque sunt, nec
 ,, Romuli aut Nummae Pompilii, sed Tarquinii
 ,, superbissimi atque crudelissimi Regis, ista sunt
 ,, cruciatus carmina.

Differt *Ironia* ab *Allegoria*, (quam etiam satius Figuram dixeris quàm Tropum) quod per *Allegoriam* aliud quidem dicitur, aliud intel-
 ligitur, sed seriò nullis scilicet admixtis jocis, vel ejusmodi simulatione dictorum, quae, riden-
 do, aliquem perstringerent, ut patet in hac in-
 signi *Allegoria Ciceronis in Pisonem*; " Neque
 ,, tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus
 ,, ac fluctibus Reipublicae navem gubernassem,
 ,, salvamque in portu collocassem, frontis Tuae
 ,, nubeculam, aut Collegae tui contaminatum
 ,, Spiritum perhorrescerem. Alios ego vidi ven-
 ,, tos, alias prospexi animo procellas, aliis im-

,, pendentibus tempestatibus non cessi, sed u-
 ,, num me pro omnium salute obtuli. In qua
 Allegoria, seriò, et sine ullo jocandi modo, di-
 citur: de turbinibus, de fluctibus, de navis gu-
 bernatione, de ventis, de procellis, de tempesta-
 tibus; intelligitur autem: conspiratio Catilina-
 ria, Republicae administratio, similitudines et pe-
 ricula domestica etc. *Ironia* vero tunc est,
 cum aut aliquem simulata laudatione falsè et
 ingeniosè perstringimus, vel vituperando face-
 tè laudamus, vel ad contrarium nostrae senten-
 tiae per jocum hortamur. Ut si quis, volens per-
 stringere eos Cives, qui curam Reipublicae ne-
 gligunt, ita diceret: " Bene rectèque agitis Ci-
 ,, ves, dum abjecta Reipubl: cura, privatae rei
 ,, augendae toti incumbitis, insudatis, omnem-
 ,, que collocatis operam. Quid est enim ista Res-
 ,, publica? nisi quaedam rei quae non est, quae
 ,, non existit, quae non vivit, fictio et imago?
 ,, cum contra, nos revera existimus, sumus, vi-
 ,, vimus. Fictitiae ergo rei salutem, bona, com-
 ,, moda, nostris singulorum commodis, salu-
 ,, ti, bonoque, nos vanè praeferemus? Ridendi
 ,, profecto sapientes illi veteres, prisci illi Grae-
 ,, ci, Romanique Heroes, imò et nostratum
 ,, plurimi, eorum simii, qui vanis Rerumpubli-
 ,, carum imbuti principiis, et nescio quo afflato
 ,, spiritu, Reipubl: Patriamque incolumem,
 ,, propriae incolumitati, vitae, fortunisque prae-
 ,, tulerint, qui se suaque omnia, homines pro-
 ,, pemodum fatui, pro Patriae salute devove-
 ,, rint: quos nihil, nisi Reipubl: glòria, nisi Pa-

„ triae caritas, totos occuparit, ac in omne peri-
 „ culorum genus imprudentes conjecerit. Nos
 „ prudentiores, nos meliores, qui prae inanibus
 „ illis Patriae ac Reipublicae simulacris, prae
 „ aliorum, quod nostra nihil intersit, bene, no-
 „ stris rebus, nostris propriis rationibus, et utili-
 „ tatibus duntaxat, prospicimus, nec vanis illis
 „ Patriae ac Reipublicae nominibus illudi nobis
 „ sinimus. Nos profecto confictam illam in ve-
 „ ram, quaque re ipsa frui liceat, felicitatem,
 „ mutamus, rectiusque praejudiciis majorum
 „ exuti, non publica sed nostra curando, sapi-
 „ mus. Sit ergo Patriae, sit Reipublicae, uti Diis
 „ placet et libet, dum nos locupletes, felices,
 „ clari, fortunatique simus. etc.

In hoc exemplo aliud quidem dicitur, aliud
 vero intelligitur, sed joci, facetiae, et irrisio
 in illo adhibetur, quod dum fit, non *Allegoria*,
 sed *Ironia* inde nascitur.

HYPERBOLE, *Est Figura, quae rem auget*
vel minuit, supra vel infra veritatem, cum ju-
dicio tamen et prudentia. Sic Cicero pro Mar-
cello Caesarem per Hyperbolen, laudat. " Nul-
 „ lius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi
 „ aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quae
 „ non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar,
 „ res tuas gestas possit. etc. Vereor, ut hoc quod
 „ dicam, non perinde intelligi auditu possit, at-
 „ que ego ipse cogitans sentio. Ipsam victo-
 „ riam vicisse videris, eum ea ipsa, quae illa erat
 „ adepta, victis remisisti. Sic de Divo Hiero-
 „ nymo per Hyperbolen, dictum: " Nemo scivit,

„ quod Hieronymus nesciverit. Sic *De Cicerone illud*: ” Par imperio Romano ingenium. *etc.*

Hae et similes sunt Hyperbolae prudentes. Jam si, ut quidam de Ductore militum ab hoste caeso, dixerit; *Oppugnarunt membra, ceu Provincias, caput ceu Imperium.* Aut ut alii alias: *Sapientia omnes et gloria superasti, armis et Marte nemini secundus, etc.* ridiculae imprudentesque Hyperbolae sunt.

CONGERIES, *Est tunc: cum multa simul conglobantur, vel ejusdem generis, vel eodem pertinentia.* Uti sunt: multae ejusdem rei, vel causae vel effectus, vel partes, vel qualitates, vel epitheta. *Vg:* „ Qui Comitata runipunt,
 „ Rempublicam pessundant, Regnum ingenti
 „ afficiunt damno, Patriam Hosti inermem ob-
 „ jiciunt, modum omnem defendendae eripi-
 „ unt, Libertatem funditus convellunt, Aera-
 „ rium Reipublicae ad incitas redigunt, fortunas
 „ vitasque Civium pradae exponunt, odia, di-
 „ scordiasque incendunt, gloriam Gentis liberae
 „ prostituunt, ignominia nomen Polonum apud
 „ Exteros operiunt. Domi justitiam omnem tol-
 „ lunt, Religionem profanant. En quomodo
 „ congesti sunt breviter, malè dissolutorum Co-
 „ mitiorum, effectus.

Item: ” Homo mendax: versipellis, per-
 „ fidus, ad pejerandum paratissimus, avarus,
 „ rapax, violentus, semper temulentus, stulti-
 „ tiae ac imprudentiae plenissimus, obtrector
 „ et convicicator Bonorum, audacia et impieta-
 „ te incredibili etc. Haec figura, in qua multa

eiusdem generis et modi, simul coacervantur, cum aliis superioribus solet convenire Figuris.

DEFINITIO, *Est Figura, qua una pluri-
busve denominationibus, res aliqua explicatur.*
Ut cum ait Cicero. " Vidimus templum San-
,, citatis, amplitudinis, mentis, consilij publici,
,, caput Urbis, aram Sociorum, portum omnium
,, Gentium, sedem ab universo Populo conces-
,, sam uni Ordini, inflammari, excindi, fune-
,, stari.

Item: " Iste verò praedo honorum, malo-
,, rum Civium clipeus, pestis et sax Reipubl:,
,, odiorum Civilium flamma, Juris honestique
,, contemptor, eversor Legum, hostis Patriae,
,, opum suarum et alienarum vorago, virtutis
,, omnis inimicus, flagitiorum omnium mon-
,, strum.

SENTENTIA, *Est enuntiatio quaedam, con-
tinens aliquod generale principium, quod ad
vitam, mores, Politicam, vel Regimen Reipubli-
cae, pertinet.*

Figura haec est: et pulcherrimum Oratio-
nis ornamentum, et solidi ingenii, prudentiae,
iudicii que in Oratore testimonium. Oritur au-
tem: cum reflectitur animus ad ea, quae dicun-
tur, observat in re de qua tractat, quid elici ex
ea possit, quod ad mores vel Rempublicam spe-
ctet, atque utile cunctis videatur. Parcè id ta-
men faciendum est et rarius. Omne enim ni-
mium est vitium. Continuis velle fluere senten-
tiis, affectionis genus est.

Brutus ad Ciceronem scribit: fixum sibi esse in animo, Romam amplius non redire, sed alibi à servitute Octavij Augusti, liberum vivere.

„ A servientibus (inquit) abero, mihi que esse ju-
 „ dicabo Romam, ubicunque liberum esse lice-
 „ bit: *Quid est enim melius, quam memoria re-
 „ ctè factorum et liberte contentum, negligere
 „ humana?*

Idem Brutus in summo Reipublicae discrimine, Ciceronem hortatur ad constantiam, quò enim spectabilior in Republica sit Cicero, eò cum majoribus periculis illi conflictandum sit.

„ Te Cicero, (inquit) rogo atque hortor ne de-
 „ fatigare, neu diffidas. Fortem et liberum ani-
 „ mum, quo et Consul et consularis Rempubli-
 „ cam vindicasti, sine constantia nullum esse
 „ putâris. Fateor enim: *duriorem esse condi-
 „ tionem spectatae virtutis, quam incognitae.*

Laterensis Vir Romae spectatissimus, digniorem se Plancio esse ad munus AEdilis, multis Populo Romano persuadere conatus est. Cicero defensor Plancii ita Laterensem alloquitur:

„ Quid tu? dignitatis judicem putas Populum?
 „ *Ut semper populus dignitatis iniquus Judex
 est, qui aut invidet, aut favet.*

Pompejum Cicero commendat Populo, ut eum contra Mithridatem Imperatorem eligat. Inter alia dicit: Ob ejus in bellis felicitatem perpetuam, eum Ducem belli deligendum esse.

„ Ego enim (inquit,) sic existimo, Maximo,
 „ Marcello, Scipioni, Mario, et caeteris Magnis
 „ Imperatoribus, non solum propter virtutem,

„ sed etiam propter fortunam saepius Imperia
 „ mandata, atque Exercitus esse commissos:
 „ *Fuit enim profecto summis Viris, quaedam*
 „ *ad res magnas bene gerendas, divinitus sem-*
 „ *per adjuncta fortuna.*

Plinius laudat Pomponium, quod sapienter otio in senectute utitur. „ Ita senescere, (in-
 „ quit) oportet Virum, qui Magistratus am-
 „ plissimos gesserit, Exercitus rexit, totumque
 „ se Reipublicae, quamdiu decebat, obtulerit.
 „ *Nam: et prima vitae tempora, et media, Pa-*
 „ *triae, extrema, nobis ipsismet debemus. Ut*
 „ ipsae leges monent, quae majores annis sexa-
 „ ginta, otio, reddunt.

Idem Plinius narrat quod apud Viennenses in Gallia sublatis sint Agonales Ludi, qui et Romae mores multorum inficiebant. „ Placuit,
 „ (inquit,) Agona tolli, qui mores Viennensium
 „ infecerat, ut Noster hic, omnium. (id est:
 „ ut noster Romae Lusus Agonalis infecit mo-
 „ res omnium) Nam Viennensium vitia, inter
 „ ipsos resident, nostra, (id est Romana) la-
 „ tere vagantur. *Utque in corporibus sic et in*
 „ *Imperio, gravissimus est morbus, qui à capite*
 „ *diffunditur.*

Idem laudat Antoninum cum à multis, aliis tum imprimis, à jucunditate et quadam inter amicos remissione seu relaxatione animi.
 „ Quod semel, (inquit) atque iterum Consul
 „ fuisti similis Antiquis, quod Proconsul Asiae,
 „ qualis ante te, qualis post te, vix unus aut
 „ alter. Quod sanctitate, quod auctoritate, aeta-

„ te quoque Princeps Civitatis es; est istud ve-
 „ nerabile et pulchrum. Ego tamen te vel ma-
 „ gis in remis ionibus miror. Nam: *severitatem*
 „ *pari jucunditate condire, summae gravitati*
 „ *tantum Comitatis adjungere, non minus diffi-*
 „ *le, quum magnum est.*

Sed continuo et ubique in bonis Scripto-
 ribus ac Oratoribus tales occurrunt Sententiae.
 Ex his vero paucis Juvenes satis intelligent, quid
 sit sententia, quantum luminis Orationi vel Epi-
 solae affundat, quamque praeclarè hinc inde
 in Oratione rebus immiscenda sit.

Hactenus de Figuris. Ad quarum calcem,
 admonendi sunt Eloquentiae studiosi, matura
 in adhibendis illis prudentia opus esse. Prin-
 cipio imprimis lenis semper Oratio fluat, paula-
 tim ea, quae simpliciter prolaturus eras, Inter-
 rogationibus, Apostrophe, Communicatione,
 Antithesi, Concessione, Congerie, Hypothiposi,
 Sententia, Ironia, similibusque exorna, et sen-
 sim dicenda attolle. A te ipso quaere: ratio haec,
 cogitatio haec praesens, an non melius aliqua
 exprimeretur figura, hac ne vel illa potius? aut
 si ipsamet Figura se se offert ac influit, eam
 arripe. Memineris tamen vix Oratorem esse,
 qui figurarum ornamentis non utitur. Nibilo-
 minus affectatum, nimiumque nihil sit. Sed
 Ciceronis ac Demostenis lectione, plus quam
 Praeceptis omnibus, usum Figurarum condisces.

In excellenti hoc è Paradoxo tracto Cice-
 ronis exemplo, curet Magister, quaeso, à suis
 Discipulis observari figuras.

Cicero hanc Stoicorum Sententiam propugnat: *quod honestum sit, id solum bonum esse.*

„ Vereor ne cui vestrum ex Stoicorum ho-
 „ minum disputationibus, non ex meo sensu
 „ deprompta haec videatur Oratio. Dicam ta-
 „ men quod sentiam, et dicam brevius, quam
 „ res tanta dici possit. Nunquam me Hercule
 „ ego neque pecunias istorum, neque tecta ma-
 „ gnifica, neque opes, neque Imperia, neque
 „ eas quibus maximè adstricti sunt, voluptates,
 „ in bonis rebus esse numerandas duxi, quippè
 „ cum viderem, homines rebus his circumfluen-
 „ tes, ea tamen desiderare maximè, quibus
 „ abundarent. Neque enim unquam expletur,
 „ nec satiatur cupiditatis sitis: neque ea solum,
 „ quae habent, libidine augendi cruciantur, sed
 „ etiam amittendi metu. In quo equidem con-
 „ tinentissimorum hominum, Majorum Nostro-
 „ rum, saepe requiro prudentiam, qui haec im-
 „ becilla, et commutabilia, pecuniae membra,
 „ solo verbo Bona putaverunt appellanda, cum
 „ re, ac factis longè aliter judicavissent. Po-
 „ testne bonum cuiquam malo esse? aut po-
 „ test quisquam in abundantia honorum ipse
 „ esse non bonus? Atqui ista omnia talia vide-
 „ mus, ut etiam improbi habeant, et obsint
 „ probis. Quamobrem, licet, irrideat, si quis
 „ velit: plus apud me vera ratio valebit, quam
 „ vulgi opinio, neque ego unquam illum bona
 „ perdidisse dicam, si quis pecus, aut supelle-
 „ ctilem amiserit: nec non saepe laudabo sapien-
 „ tem illum Biantem, ut opinor, qui enume-
 „ ratur

9, ratur inter septem sapientes: cuius cum Pa-
9, triam Prienen caepisset hostis, caeterique ita
9, effugerent, ut multa de suis rebus secum a-
9, sportarent: cum esset admonitus à quodam,
9, ut idem ipse faceret: ego vero, inquit, facio,
9, nam omnia mea porto mecum. Ille haec lu-
9, dibria fortunae, ne sua quidem putavit, quae
9, nos appellamus etiam bona. Quid est igitur,
9, quaeret aliquis, bonum? si quid rectè sit, et
9, honestè, et cum virtute, id bene fieri, et re-
9, ctè dicitur: et quod rectum, et honestum, et
9, cum virtute est, id solum opinor bonum. Sed
9, haec videri possunt obscuriora, cum sine ap-
9, positione exemplorum lentius disputantur.
9, Vita, atque factis illustranda sunt summorum
9, virorum haec, quae verbis subutilius, quam
9, satis est, disputari videntur. Quaero enim à
9, vobis, num ullam cogitationem habuisse vide-
9, antur, ii qui hanc Rempublicam tam praecle-
9, rè fundatam nobis reliquerunt, aut auri, aut
9, argenti ad avaritiam, aut amenitatum ad de-
9, lectationem, aut suppellectilis ad delicias, aut
9, epularum ad voluptates? Ponite ante oculos
9, unumquemque Regum. Vultis incipiam à
9, Romulo. Vultis post liberam Civitatem, ab iis
9, ipsis, qui liberaverunt eam. Quibus tandem
9, gradibus Romulus ascendit in Coelum? iisne
9, quae isti bona appellant? an rebus gestis, at-
9, que virtutibus? Quid autem Numa Pompe-
9, lius? Minusne gratas Diis Immortalibus cu-
9, pedines, ac fictiles urnulas fuisse, quam de-
9, licatas aliorum pateras arbitramur? Omit-

„ to reliquos: sunt enim omnes pares inter se,
 „ praeter superbum. Brutum vero si quis ro-
 „ get, quid egerit in Patria liberanda: si quis
 „ item reliquos ejusdem consilii socios, quid
 „ spectaverint, quid secuti sunt: num quis ex-
 „ sistat, cui voluptas, cui divitiae, cui denique
 „ praeter officium fortis et magni Viri, quid-
 „ quam aliud propositum fuisse videatur? Quae
 „ res ad necem Porsennae Quintum Mutium
 „ impulit, sine ulla spe salutis suae? Quae vis
 „ Horatium Coclitem contra omnes Hostium
 „ Copias tenuit in ponte solum? quae Patrem
 „ Decium, qui filium devovit, atque immisit in
 „ armatas hostium copias. Quid continentia C.
 „ Fabricii, quid tenuitas victus M. Curii seque-
 „ batur? Quid duo propugnacula belli Punici,
 „ Cn: et P. Scipiones, qui Carthaginensium ad-
 „ ventum, corporibus suis intercludendum pu-
 „ taverant? Quid Africanus Major? quid Minor?
 „ Quid inter horum aetates interjectus Cato?
 „ Quid innumerabiles alii? nam domesticis e-
 „ xemplis abundamus. An putamus quenquam
 „ horum cogitasse quidquam in vita sibi expe-
 „ tendum, nisi quod laudabile esse, et praecla-
 „ rum videretur? Veniant igitur irrisores hujus
 „ Orationis, ac Sententiae: et jam vel ipsi judi-
 „ cent, utrum se horum alicujus, qui Marmo-
 „ reis tectis, ebore, et auro fulgentibus, qui si-
 „ gnis, qui tabulis, qui caelato auro, et argento,
 „ qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fa-
 „ bricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere
 „ voluit, similes esse malint? Atque haec qui-

„ dem, quae modo haec, modo illuc transferun-
 „ tur, facile adduci solent, ut in rebus bonis esse
 „ negent, illud tamen arctè tenent, accuratèque
 „ defendunt, voluptatem esse summum bonum.
 „ Quae quidem mihi vox pecudum videtur esse,
 „ non hominum. Tu, cum tibi sive Deus, sive
 „ mater, (ut ita dicam) rerum omnium, natura,
 „ dederit animum, quo nihil est praestantiùs,
 „ neque diviniùs: sic te ipse abiicies, atque pro-
 „ sternes, ut nihil inter te, atque inter quadru-
 „ pedem aliquid putes interesse? Quidquamne
 „ bonum est, quod non eum, qui possidet me-
 „ liorem faciat? Ut enim quisque est maximè
 „ boni particeps, ita et laudabilis maximè: ne-
 „ que est ullum bonum, de quo non is, qui id
 „ habeat, honestè possit gloriari, quid autem est
 „ horum in voluptate? Melioremne efficit, aut
 „ laudabiliorem Virum? an quisquam in poti-
 „ undis voluptatibus gloria se se, et praedicati-
 „ one effert? Atqui si voluptas, quae plurimo-
 „ rum patrociniis defenditur, in rebus bonis
 „ habenda non est: eaque quo est major, eo
 „ magis mentem è sua sede, et statu dimovet:
 „ profecto nihil est aliud benè, et beatè vivere,
 „ nisi honestè, et rectè vivere.

§. VI.

De Styli Generibus.

21. *Quid est Stulus?*

Est ratio illa bene ornatèque dicendi,

quam quisque Orator, vel pro naturae suae vi ductuque, vel ex aliorum imitatione sequitur.

Dicitur proinde: *Stylus Ciceronis, Stylus Salustii, Taciti, Plinii, Senecae etc.* In quibus Stylis dicendi singularis et propria quaedam cuique ratio, observari potest.

22. *Quotuplex est Stylus?*

Duplex imprimis: Amplior et Concisus.

STYLUS AMPLIOR ille est, qui penitus ductum Naturae sequitur, minimè coarctatur, latiore quodammodo semper, angustiore, ubi ipsa res exigit, fluit alveo: inutile nihil in verbis, sed copia quaedam fluxusque verborum ceu fluminis, quorum quodvis sensa animi magis magisque explicat, et Orationem exornat. Tantum tamen abest, vox ut in eo aliqua superflua sit, omnes ut potius necessariae, atque ad hunc locum natae esse videantur: ita quidem, ut nulla etiam severior *critice* aliquam castigare aut demere possit. Brevibus: quae multis omnino egent verbis, multis hic Stylus ea exprimit, quae paucis expedienda sunt, paucis expedit. Et talis Stylus Ciceronis est, talis esset, si rostra conscenderet, ipsiusmet naturae.

In Catilinam ejusque conjuratos Comites, ut urbe excedant. Ducemque sequantur profugum, ita *Cicero*: „ Hunc vero si sui „ fuerint Comites secuti, si ex Urbe exierint desperatorum hominum flagitiosi gre-

ges: O nos beatos, ô Rempubl: fortunatam,
ô praeclaram laudem Consulatus mei! Non
enim jam sunt mediocres hominum libidines,
non humanae audaciae ac tolerandae. Nihil
cogitant: nisi caedes, nisi incendia, nisi rapinas.
Patrimonia sua profuderunt, fortunas suas
abligurierunt. Res eos jam pridem, fides
deficere nuper caepit: eadem tamen illa,
quae erat in abundantia, libido permanet.
Quod si in vino et alea comessationes solum
et scorta quaerent, essent illi quidem desperandi,
sed tamen ferendi. Hoc vero quis ferre possit,
inertes homines fortissimis viris insidiari,
stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis,
dormientes vigilantibus? qui mihi accubantes
in conviviis, complexi mulieres impudicas,
vino languidi, conferti cibo, fertis redimiti,
ungventis obliti, debilitati stupris, eructant
sermonibus suis caedem honorum, atque urbis
incendia. Quibus ego confido iupendere fatum
aliquod et paenas, jam diu improbitati,
nequitiae, sceleri, libidini debitas, aut instare
jam planè, aut certè jam appropinquare.
Quos si meus Consulatus, quoniam sanare non
potest, sustulerit, non breve nescio quod
tempus, sed multa saecula propagarit
Reipublicae. Nulla est enim Natio quam
pertimescamus: nullus Rex, qui bellum
Pulo Romano facere possit. Omnia sunt
externa, unius virtute, terra marique pacata.
Domesticum bellum manet: intus insidiae
sunt: intus inclusum periculum est: intus est

„ hostis. Cum luxuria nobis, cum amentia, cum
 „ scelere certandum est. Huic ego me bello
 „ Ducem profiteor Quirites. Suscipio inimici-
 „ tias hominum perditorum. Quae sanari pote-
 „ runt, quacunque ratione sanabo, quae rese-
 „ canda erunt, non patiar ad perniciem Civita-
 „ tis manere. Proinde aut exeant, aut quie-
 „ scant: aut, si et in Urbe, et in eadem mente
 „ permaneant, ea quae merentur expectent.

Vident hic Adolescentes et longiora et breviora: incisa, membra, periodos, amplitudinemque Ciceronianae Eloquentiae; Sed totus exscribendus esset, ubique enim est sui similis.

STYLUS vèro CONCISUS est ille, qui paucioribus quam potest verbis multa includit, incisa brevia, periodos breves amat, se se ubique coarctat, qui si è natura alicujus profluit, placet, si imitationem affectat, ridetur.

Plinius, Nervam, qui adoptavit Trajanum; et Trajanum, Trajani verum Patrem, ita alloquitur: „ Quanto nunc Dive Nerva, gaudio
 „ frueris, quum vides et esse optimum, et dici,
 „ quem tanquam optimum elegisti. Quam laetum Tibi quod comparatus filio tuo, vinceris,
 „ Neque enim alio magis approbatur animi tui
 „ magnitudo, quam quod optimus ipse non timuisti eligere meliorem. Sed et tu Pater Trajane (nam et tu quoque si non sidera, proximam tamen sideribus obtines sedem) quantam
 „ percipis voluptatem? quum illum Tribunum,
 „ illum militem tuum, tantum Imperatorem,

„ tantum Principem cernis, cumque eo, qui
„ adoptavit amicissimè contendis: pulchriusne
„ fuisset, genuisse talem, an elegisse? Macte u-
„ terque ingenti in Rempubli: merito, cui hoc
„ tantum boni contulistis. etc.

Tacitus inducit Severum Cecinam, qui
suadebat: ne Maritos suos, Uxores sequerentur
in Provincias, quae illis erant demandatae:
„ Haud frustra placitum olim: ne faeminae, in So-
„ cios, aut Gentes externas traherentur. Inesse
„ Mulierum comitatu, quae pacem luxu, bellum
„ formidine morentur, et Romanum agmen, ad
„ similitudinem barbari incessus convertant.
„ Non inbellum tantum et imparem labori-
„ bus sexum esse, sed si licentia adsit, saevum,
„ ambitiosum, potestatis avidum. Incedere inter
„ milites, habere ad manum Centuriones. Prae-
„ sedisse nuper, faeminam exercitio cohortium,
„ decursui legionum. Cogitarent ipsi, quoties
„ repetundarum aliqui arguerentur, plura ux-
„ ribus objectari. His statim adhaerescere deter-
„ rimum quemque Provincialium: Ab his ne-
„ gotia suscipi, transigi. Duorum egressus coli,
„ duo esse Praetoria. Pervicacibus magis et im-
„ potentibus mulierum jussis, quae Oppiis quon-
„ dam aliisque legibus constrictae, nunc vincu-
„ lis exolutis, Domos, fora jam et exercitus re-
„ gerent.

Sallustius inducit Manlii Legatos, qui cri-
mine seditionis apud Quintum Marcium, pur-
gant excusantque Plebem, quae ob miseriam

suam ac Faeneratorum crudelitatem, arma arri-
 puerat. „ Deos hominesque testamur, Impe-
 „ rator, nos arma neque contra Patriam caepis-
 „ se, neque quo periculum aliis faceremus; sed
 „ uti corpora nostra, ab injuria tuta forent: qui
 „ miseri, egentes, violentia atque crudelitate
 „ Faeneratorum, plerique Patria, sed omnes fa-
 „ ma, atque fortunis, extorres sumus. Neque
 „ cuiquam nostrum licuit, more Majorum lege
 „ uti, neque amisso Patrimonio corpus libe-
 „ rum habere, tanta saevitia Faeneratorum at-
 „ que Praetoris fuit: Saepe Majores vestri mi-
 „ serti Plebis Romanae, decretis suis inopiae e-
 „ jus opitulati sunt: ac novissimè memoria no-
 „ stra propter magnitudinem aeris alieni, vo-
 „ lentibus omnibus bonis, argentum aere solu-
 „ tum est. Saepe ipsa Plebs, aut dominandi stu-
 „ dio permota, aut superbia Magistratum ar-
 „ mata, à Patribus secessit. At nos non Imperi-
 „ um, neque divitias petimus, quarum rerum
 „ causa, bella atque certamina omnia inter mor-
 „ tales sunt; sed Libertatem, quam nemo bo-
 „ nus, nisi cum anima simul amittit. Te, atque
 „ Senatum obtestamur: consulatis miseris Civi-
 „ bus, Legis praesidium, quod iniquitas Praeto-
 „ ris eripuit, restituatis, neque nobis eam neces-
 „ situdinem imponatis, ut quaeramus, quonam
 „ modo, maximè ulti sanguinem nostrum, pe-
 „ reamus.

Livius inducit Legatos Faliscorum ad Sena-
 tum Rom: loquentes, qui se ei ultro dederunt,
 cum Camillus Proditorem Ludi Magistrum,

cum pueris Illustrium Civium, ad eos remississet. „ Patres Conscripti, victoria cui nec
„ Deus, nec homo quisquam invidet, victi
„ à vobis et Imperatore Vestro, dedimus nos
„ vobis, rati, quo nihil victori puchrius est,
„ melius nos sub Imperio Vestro quam legibus nostris, victuros. Eventu hujus belli,
„ duo salutaria exempla prodita humano generi sunt. Vos fidem in bello, quam praesentem victoriam, maluistis; nos fide provocati, victoriam ultro detulimus. Sub ditione vestra sumus. Mittite, qui arma, obsides, qui Urbem patentibus portis accipiant. Nec Vos fidei nostrae, nec nos Imperii Vestri paenitebit.

Seneca, de brevitae vitae. „ Quid ergo est in causa? tanquam semper victuri vivitis: nunquam vobis fragilitas vestra succurrit. Non observatis quantum temporis transierit. Velut ex pleno et abundantia perditis. Cum interim fortasse ille ipse, alicui vel homini, vel rei donatus, ultimus dies sit. Omnia tanquam mortales timetis, omnia tanquam immortales concupiscitis. Audies plerosque dicentes: à quinquagesimo in olium secedam, sexagesimus annus, ab officiis me dimittet. Et quem tandem longioris vitae praedem accipis? quis ista, sicut disponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitae tibi reservare, et id solum tempus bonae menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est, vivere incipere, cum desinendum est. Quae

„ tam stulta mortalitatis oblivio? in quinqua-
 „ gesimum et sexagesimum annum differre sa-
 „ na consilia, et inde velle vitam inchoare, quæ
 „ pauci perduxerunt?

Haec elegantia Styli concisi exempla sufficiant. Qui Plinii, Salustii, Taciti, Senecæ, ingenium nactus est, ita scribat. Sed nostri quidam Lipsii, Puleani, Fredrones, inæptiunt. Imitatio coacta et exorta istorum, fons semper fuit, est, et erit semper depravatissimæ Eloquentiæ, Sibi isti videntur ubique mirabiles, et tales nobis ubique singulis incisus videri volunt, sed nugaces sunt, et nugantur. Conceptus eorum et acuminata, levitatis et pueritiæ plena sunt. Qui sapit, naturam et Ciceronem sequatur. Aut si ita libet, nimium sicci: Ciceroniana fecunditate, nimium fecundi: aliorum Oratorum in verbis parsimonia, Eloquentiam temperent.

23. *Quotuplex est iterum Stylus?*

Triples: Stylus Infimus, Mediocris: et Summus.

STYLUS INFIMUS est ille, qui naturaliter, aquæ instar tranquillæ, purus limpidusque fluit, nullibi tumescit, planè decurrit, cogitationes summa facilitate explicat, ornamenta, nisi quæ ipsa obvient, se sequæ offerant, non procatur, docendo aptissimus, ad suadendam quamvis rem, et explananda quævis negotia, ipsa claritate, faciliq; dicendi ratione idoneus. Talis: Orationibus et Epistolis, Librisque:

ubi Reipubl: consulitur, ubi negotia quaevis publica et privata aguntur, ubi de moribus tractatur, ubi praecepta quaevis traduntur, peridoneus est; in Poesi in Satiris locum habet. Nec ideo, quia vocatur infimus, parvi habendus, est; Nihil enim illo prudentius, utilius, aut frequentius.

Sit exemplo hujus Styli, summus ille inter Graecos Oratores *Isocrates*, qui *Nicoctem Salaminis Cypriae Regem* verba facientem ad populum, inducit. Qua oratione Rex Optimus se se Populo imitandum proponit, et iisdem praecepta vivendi tradit. *Isocrates* vero in Persona Regis *Nicoctis*, suos alloquentis, *Atheniensibus* suis Civibus hoc pulcherrimo Sermone, doctrinam morum exponit. Digna haec Oratio, uti omnes aliae ejusdem Oratoris, quae tota praelegatur Juvenibus: nos ex illa eam duntaxat excerpimus partem, qua justitiam, et temperantiam, seu castimoniam edocet.

„ Arbitror confiteri omnes, inter virtutes
 „ caeteras, justitiam et temperantiam, praestantissimas esse. Nam si velimus spectare et naturas, et potestates, et usus rerum, reperiemus, res eas, quae cum his non conjunguntur virtutibus, magnorum esse causas malorum, quae vero per justitiam et temperantiam fiunt, plurimum vitae hominum prodesse. Quod si qui veterum ob has virtutes spectati fuerunt, arbitror etiam convenire, ut ego ipse apud vos eandem hanc gloriam assequar. Ac justitiam, quidem, qua sum praeditus, hinc

„ maximè videatis. Nam quo tempore in Im-
„ perio fui constitutus, cum Regiam quidem
„ accepissem, pecuniarum vacuum, et omnia
„ deprehendissem absumpta, res vero perturba-
„ tione plenas, quae multam diligentiam et
„ sumptus requirerent: cumque scirem, alios,
„ tali in tempore, res suas omni modo, etiam
„ per fas et nefas sarcire esse solitos, imo, ple-
„ rosque Principes etiam non malos, quando-
„ que cogi, ut multa praeter ingenium suum a-
„ gant committantque: attamen à nihilo isto-
„ rum corruptus sum, nec ulla rerum penuria,
„ ad injustitiam aliquam committendam me sum
„ passus impelli: sed ita piè rectèque res cura-
„ vi, ut nihil quod justum et aequum esset, prae-
„ termissum sit ex iis, quorum ope augetetur
„ Urbs, et ad majorem felicitatem perveniret.
„ Nam et in Cives cum tanta mansuetudine me
„ gessi, ut neque exilia, nec mortes, nec pecunia-
„ rum jacturae, nec ulla alia hujusmodi calamita-
„ tas, sub meo evenerit Imperio. Graecia vero
„ cum nobis esset inaccessa ob bellum, quod
„ tunc gerebatur, et nos ubique spoliaremur, ho-
„ rum pleraque composui, aliis quidem omnia
„ debita solvendo, aliis vero partem, at alios ut
„ praestolarentur rogando, cum aliis vero ut
„ potui controversias componendo. Tantum
„ enim absum ab alienarum rerum cupiditate,
„ ut alii quidem Principes, si paulo forte poten-
„ tiores suis sint vicinis, eorum mox partem agri
„ abscindant, et plus aequo possidere quaerant:
„ ego autem ne datam quidem mihi Regionem

» voluerim accipere, sed desiderarim potius
» cum justitia meum Regnum quamvis minus
» habere, quam per alicujus injuriam longè ma-
» jus mihi parare Imperium. At quid opus sin-
» gulis dicentis immorari? Constabit enim me
» neminem quidem unquam injuria affecisse,
» pluribus vero et Civium et aliorum Graeco-
» rum bene fecisse, et majora dona utrisque de-
» disse, quam omnes simul qui ante me regna-
» runt. Epim vero oportet eos, qui ob justitiam
» gloriantur, et profitentur, se maiores esse
» quam quos vincere possit pecunia, de se ipsis
» illustria hujusmodi posse dicere.

Quin etiam de temperantia, adhuc his
» maiora habeo quae dicendo percurram. Cum
» enim scirem omnes homines, plurimi facere
» liberos ipsorum, et Uxores, maximeque iis
» irasci, qui in haec offendunt; cum scirem, con-
» tumeliam Uxoribus Liberisque illatam, ma-
» ximorum causam fuisse malorum, et ob hanc,
» multos olim, tam privatorum, quam poten-
» tum fuisse perditos: ita haec crimina evitavi,
» ut ex quo Regnum susceperim, fidem illiba-
» tam, soli meae Conjugi, constanti religione
» servaverim, conatusque sim semper, me ipsum,
» quam longissimè, vel ab ipsa, illiciti, cum qui-
» busvis Faeminis commercii, suspicione amo-
» visse. Cumque non ignorarem, quod isti eti-
» am apud Vulgus honorantur, qui in rebus,
» quae ad Cives spectant, justi abstinentesque
» sunt, voluptatem ideo meam, cum aliorum in-
» juria, nunquam et nusquam quaesivi. Mores

„ itaque meus, pro exemplari, volui aliis Civi-
„ bus exhibere: non ignarus quod assolet Plebs
„ in studiis iis vitam agere, in quibus Princi-
„ pes suos degere vident. Deinde etiam con-
„ venire duxi: Reges, tanto meliores ut essent
„ privatis, quanto majores quam illi sunt adepti
„ honores; et iniquè eos agere, si qui alios qui-
„ dem modestè vivere cogant, ipsi vero se ipsos
„ subditis moderatioribus non praestant. Ad haec
„ vero videbam, in caeteris quidem actionibus,
„ plebem quoque sui esse potentem, at vero
„ Viros nonnunquam vel Optimos, impares es-
„ se, refraenandis iis cupiditatibus, quae e libi-
„ dine brutalisque voluptatis appetitu, in ho-
„ minibus oriri excitarique solent. Volui igitur
„ in hisce rebus ostendere me esse continendi
„ potentem, in quibus, non solum alios essem
„ superaturus, verum etiam eos, qui ob caete-
„ ras virtutes superbiunt, lascivia autem inho-
„ nesta labuntur, aliarumque virtutum laudem
„ in semet dehonestant. Praeterea vero tales
„ homines, multae iniquitatis condemnabam,
„ quot quot, cum Uxores duxerint, et totius
„ vitae societatem cum iis inierint, iis contenti
„ non sint, sed illas suis voluptatibus offendant,
„ à quibus expectant, ut ipsi in nulla re offen-
„ dantur. Et in aliis quidem societatibus, ac a-
„ micitiis se ipsos aequos praestant, in societate
„ vero cum uxore inita, contra amorem fidem-
„ que, quam in conjugio imprimis, sanctissimè
„ servare oportet, tam turpiter audacterque

delinquant, ubi quanto magis propria et majora sunt cum uxoribus faedera, tanto religiosius exactiusque ea observari, par est. Deinde non animadvertunt multi Principes, quam saepe in ipsis Regiis, seditiones et discordiae, ob libidines et lascivias, malo eorum exemplo, inter privatos invecas, oriantur. Atqui eos qui recte regnant, oportet conari, ut non solum pace fruantur, illae quibus imperant Urbes, verum etiam, ut in privatis domibus et locis pax et tranquillitas habitent. Omnia haec temperantiae munera et justitiae sunt.

„ Cum autem multa me hortarentur ut harum virtutum studio insisterem, non minimum me ad id, cogitatione hac incitari sentiebam, quod plerumque etiam mali: Viri fortes, solertes, et caeterarum laudum participes sint, temperantiam vero et justitiam, possessiones esse solis bonis honestisque Viris proprias. Pulcherrimum igitur existimavi, talibus animum applicare virtutibus, quarum nulla portio improbis contingit. Quod cum ita censerem, prae ceteris temperantiae studii et justitiae, quarum vobis in me specimen praebere volui. Indigus enim pecuniarum relictus, adeo justum me ipsum praebui, ut e Civibus offenderem neminem: potestatem autem quidquid vellem faciendi nactus, temperantior privatis fui. Haec autem utraque praestiti, eo tempore, ea aetate, in qua pluri- mos inveniemus, maxime in agendo peccare,

„ Et haec omnia apud alios dubitarem fortasse
 „ dicere: vos autem omnium, quae à me dicta
 „ sunt, ipsi testes estis. Ideo vero plures ser-
 „ mones feci de me ipso, nullam ut vobis ex-
 „ cusationem relinquerem, quasi non vos op-
 „ porteat, libenter et alacriter agere, quaecun-
 „ que ipse imperavero, et consulero etc.

Si tali Stylo Senatus et Legatorum Curia
 ac Comitia omnia floruerint, quid ad Eloquen-
 tiae desideraretur laudem?

STYLUS MEDIOCRIS, qui *infimo* est
 paulo superior, *sublimi* inferior, Ornamentis
 ex arte Oratoria abundat, acutiùs: cogitatis, et
 dictis, modi-que dicendi rarioribus et elegan-
 tioribus oblectatur. Appellatur etiam *Stylus*
Floridus. Talem in permultis Ciceronis Ora-
 tionibus; ut: pro Roscio, Cluentio, Murena,
 Rabirio, Plantio, etc. talem plerisque locis,
 in ejus Oratoriis, ac Philosophicis Operibus,
 talem in elegantibus Historiae Scriptoribus le-
 gas, talem in omnibus fere Ciceronis, Pliniique
 Epistolis.

Plinius: Tacito commendanti *Nasonem*,
 respondet.

„ Commendas mihi Nasonem Candidatum.
 „ Nasonem mihi? quid si me ipsum? Fero ta-
 „ men et ignosco. Eundem enim commendassem
 „ Tibi, si, Te Romae morante, ipse adfuissem.
 „ Habet hoc sollicitudo, quod omnia necessaria
 „ putat. Tu tamen, censeo, alios reges. Ego
 „ precum tuarum minister, adjutor, particeps
 „ ero.

Cicero

Cicero in paradoxis disputat: se ipsam contentam esse virtutem, ad bene vivendum.

„ Nec vero ego M. Regulum, aerumnosum, nec infelicem, nec miserum, unquam putavi. Non enim magnitudo animi ejus cruciabatur à Paenis, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse, qui tot virtutum praesidio munitus, tantoque comitatu circumseptus, cum corpus ejus caperetur, capi ipse certè non potuit. Cajum vero Marium vidimus, qui mihi secundis in rebus unus ex fortunatis hominibus, in adversis, unus ex summis Viris videbatur, quo beatius esse mortali nihil potest. Nescis insane, nescis quantas vires virtus habeat. Nomen tantum virtutis usurpas: quid ipsa valeat, ignoras. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex se se, quique in se uno, sua ponit omnia. Cujus autem spes omnis, et ratio, et cogitatio pendet ex fortuna: huic nihil potest esse certi: nihilque quod exploratum habeat, permansurum ne unum quidem diem. Eam tu hominem terreto, si quem eris nactus, istiusmodi mortis, aut exilii minis, mihi vero quidquid acciderit, in tam ingrata Civitate, ne recusanti quidem evenit, non modo non repugnanti. Quid enim ego laboravi, aut quid egi, aut in quo evigilaverunt curae et cogitationes meae, si quidem nihil peperit tale, nihil consecutus sum, ut eo statu essem, quem neque fortunae temeritas, neque inimicorum labefactaret in-

„ jura? Mortemne mihi minitaris, ut omni-
 „ no ab hominibus: an exilium, ut ab improbis
 „ demigrandum sit? mors terribilis est iis, quo-
 „ rum cum vita omnia extinguuntur, non iis,
 „ quorum laus emori non potest: exilium autem
 „ terribile illis, quibus quasi circumscriptus est
 „ habitandi locus: non iis, qui omnem Orbem
 „ terrarum, unam Urbem esse ducunt. Te mi-
 „ seriae, et aerumnae premunt omnes, qui te be-
 „ atum, qui te florentem putas: tuae, libidines te
 „ torquent: tu dies, noctesque cruciaris, cui
 „ nec satis est, quod est, et id ipsum, quod ha-
 „ bes, ne non sit diuturnum futurum, times; te
 „ conscientiae stimulant maleficiorum tuorum:
 „ te metus exanimant judiciorum, atque legum:
 „ quocumque adspexisti, ut Furiae, sic tuae tibi
 „ occurrunt injuriae, quae te respirare non fi-
 „ nunt. Quamobrem ut improbo, et stulto,
 „ et inertī nemini bene esse potest: sic bonus
 „ Vir, et Sapiens, et fortis, miser esse non po-
 „ test. Nec vero, cujus virtus, moresque lau-
 „ dandi sunt, ejus non laudanda vita est: neque
 „ porro fugienda vita, quae laudanda est, esset
 „ autem fugienda, si esset misera. Quamobrem
 „ quidquid est laudabile, idem et beatum, et
 „ florens, et expetendum videri debet.

SUBLIMIS SUMMUSQUE STYLUS ille
 est, qui vel pro rerum de quibus agit dignitate,
 vel animo graviter commoto supra usitatorem
 dicendi modum, et cogitationibus, ac sententiis,
 et verbis, modisque dicendi, et figuris, orna-

mentisque Oratoriis elevatur. Magna in eo ubique omnia, et majestate quadam plena. Pro ejus exemplo legi possunt, Orationes Ciceronis, ad Senatum, et Populum post reditum, pro lege Manilia, pro M. Marcello, contra Catilinam, Philippicae. Demosthenis item Philippicae. Partes multae in Plinii Panegirico, Tragediae Poëtarum etc.

Exemplum ex Oratione pro *M. Marcello*: quem Victor *Julius Caesar* hostem adversariumque suum, venia donatum, dignitati pristinae Senatuique restituit.

„ Nullius tantum est flumen ingenii, multa dicendi aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quae non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar res tuas gestas possit. Tamen hoc affirmo, et hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliozem, quam eam, quam hodierno die consecutus es.

„ Soleo saepe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum Gentium, Potentissimorumque Populorum, omnes Clarissimorum Regum res gestas, cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero praeliorum, nec varietate Regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum, posse conferri. Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis, illustratae sunt.

„ Quae quidem ego nisi ita magna esse
 „ fatear, ut ea vix cujusquam mens, aut cogi-
 „ tatio capere possit, amens sim, sed tamen sunt
 „ alia majora. Nam bellicas laudes, solent qui-
 „ dam extenuare verbis, easque detrahere Du-
 „ cibus, communicare cum militibus, ne pro-
 „ priae sint Imperatorum. Et certè in armis mi-
 „ litum virtus, locorum opportunitas, auxilia
 „ Sociorum, classes, commcatus, multum ju-
 „ vant. Maximam vero partem quasi suo jure
 „ fortuna sibi vindicat: et quidquid est prospe-
 „ re gestum, id pene omne ducit suum.

At vero hujus gloriae C. Caesar, quam es
 „ paulo ante adeptus, socium habes neminem.
 „ Totum hoc, quantumcunque est, quod cer-
 „ tè maximum est, totum est inquam tuum.
 „ Nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Prae-
 „ fectus, nihil Cohors, nihil Turma decer-
 „ pit. Quin etiam illa ipsa, rerum humanarum
 „ Domina, Fortuna, in istius se societatem gloriae
 „ non offert: Tibi cedit: Tuam esse totam, et
 „ propriam fatetur, nūquam enim temeritas
 „ cum sapientia commiscetur, nec ad consilium
 „ casus admittitur.

Domuisti Gentes immanitate barbaras,
 „ multitudine innumerabiles, locis infinitas,
 „ omni copiarum genere abundantes: sed tamen
 „ ea vicisti, quae et naturam, et conditionem,
 „ ut vinci possent, habebant. Nulla est enim tan-
 „ ta vis, tanta copia, quae non ferro ac viribus
 „ debilitari, frangique possit. Verum, animum

„ vincere, iracundiam cohibere, victoriam tem-
„ perare, adversarium, nobilitate, ingenio, vir-
„ tute praestantem, non modo extollere jacen-
„ tem, sed etiam amplificare ejus pristinam di-
„ gnitatem! Haec qui faciat, non ego eum cum
„ summis viris comparo, sed simillimum Deo
„ judico.

„ Itaque C. Caesar, bellicae tuae laudes,
„ celebrabuntur illae quidem, non solum no-
„ stris, sed penè omnium Gentium literis atque
„ linguis, neque ulla unquam aetas, de tuis lau-
„ dibus conticescet. Sed tamen ejusmodi res,
„ nescio quomodo, etiam cum audiantur, aut
„ dum leguntur, obstrepi clamore militum vi-
„ dentur, et tubarum sono. At vero cum ali-
„ quid clementer, mansuetè, justè, moderatè
„ sapienter, factum, in iracundia praesertim,
„ quae est inimica Consilio, et in victoria, quae
„ natura insolens et superba est, aut audimus,
„ aut legimus: quo studio incendimur, non modo
„ in gestis rebus, sed etiam in fictis! ut eos saepe,
„ quos nunquam vidimus, diligamus.

„ Te vero, quem praesentem intuemur, cu-
„ jus mentem sensusque et os cernimus, ut,
„ quidquid belli fortuna reliquum Reipbl: fe-
„ cerit, id esse salvum velis, quibus laudibus ef-
„ feremus? quibus studiis prosequemur? qua
„ benevolentia complectemur? Parietes, medi-
„ us fidius, C. Caesar, ut mihi videtur, hujus Cu-
„ riae, tibi gratias agere gestiunt, quod brevi
„ tempore futura sit illa auctoritas, in his Ma-
„ jorum suorum, et suis sedibus etc.

„ Hunc Tu igitur diem, Tuis maximis et
 „ innumerabilibus gratulationibus jure antepo-
 „ nes. Haec enim res, unius est propria Cae-
 „ saris. Caeterae Duce Te gestae, magnae illae
 „ quidem, sed tamen multo magnoque comita-
 „ tu. Hujus autem rei, Tu idem es, et Dux et
 „ Comes: quae quidem tanta est, ut trophis,
 „ monumentisque Tuis, allatura sit finem aetas,
 „ (nihil enim est opere, aut manu factum, quod
 „ aliquando non conficiat, non consumat vetu-
 „ stas) At vero, haec Tua justitia et lenitas ani-
 „ mi, florescet quotidie magis, ut quantum o-
 „ peribus Tuis diuturnitas detrahet, tantum af-
 „ ferat laudibus. Et caeteros quidem omnes
 „ victores bellorum Civilium, jam ante aequita-
 „ te et misericordia viceras: hodierno die, Te
 „ ipsum vicisti. Vereor, ut hoc quod dicam, non
 „ perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse
 „ cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse vi-
 „ deris, cum ea ipsa, quae illa erat adepta, vi-
 „ ctis remisisti. Nam cum ipsius victoriae con-
 „ ditione, jure omnes victi occidissemus, cle-
 „ mentiae tuae judicio conservati sumus. Re-
 „ ctè igitur, unus invictus es, à quo etiam ipsi-
 „ us victoriae conditio, visque devicta est. etc.

Profecto hic dici potest: *Non dignius unquam, Majestas meminit se se Romana locutam.*

Sectatores affectati ineptique Styli hujus, in vitium cadere solent, vani cujusdam ridiculae, in dicendo scribendove tumoris,

et ampullatae ut vocant Eloquentiae, quae plenis semper inflatisque buccis intumescere, ac ingentia semper crepare videntur. Ut noster Historicus Kochovius aliique penulti. Nero-nianus dici potest hic Stilus, cuius specimen Persius prima Satyra producit: *Torva Mimal-loneis implerunt cornua bombis, et raptum vitule caput ablatura superbo, Bassaris, e. lyn-cem Maenas flexura torimbis, Quon ingemunt: reparabilis assonat echo.* Ita ille, qui panegy-ricum Joanni Tertio inscriptum, sic orsus est: *Edormivisti tandem illam crapulam helluo hu-mani sanguinis gradive! etc.* Talem dicendi rationem tanquam foedissimam eloquentiae la-bem pestemque, quae praeterito horque saeculo inoleverat, vitandam esse, Adolescentes com-monendi sunt.

Tamen et contra, Stylus quidam ille ni-mium humilis, abjectus, repens, et nescio à quo, non malè appellatus, culinarius, fugien-dus omnino est: qui nihilominus Stylus, ob igno-rantiam, tot, ut eos vocant, Secretariorum, in Curia et in Aulis Principum, Procerumque, qui Epistolas, Edicta, vel Instrumenta publica, latino sive patrio idiomate scripturiunt, etiam nostrum inficere, ac infamare non cessat saecu-lum. *Vg. Serenissimus Rex Dominus meus Cle-mentissimus, Magistratus Vestri homagio conten-tatur, et respectuosissimam Vestram submissionem, per clementissime acceptat: sed monitoria auctori-tate Magistratum Vestrum compellare dignatur,*

ne Plebem adiuventi ne nouissimarum Contributionum et angariationum oneretis, ne in privatis emolumentis, pecuniam contributam pro vestro favore ut deductum vobis est, consumatis, et vertatis, sed in bonum et alleviationem potius, pauperis plebeculae. ac in Civitatis communes necessitates. etc.

Itaque in omnibus Styli tribus generibus, contraria magnopere devitanda esse vitia, Studiosi Eloquentiae Juvenes, diligenter animadvertant. *Stylus* nimirum *infimus*, ne repat, et crassam quandam ignorantiam sapiat. *Stylus Mediocris* seu *Floridus*, ne lusu in verbis, putidis, ut vocant, conceptibus, imprudentibus levibusque cogitationibus inficiatur: *Stylus Sublimis*, ne in ampullatam tumidamque Eloquentiam degeneret. Caeterum norint, eundem Oratorem aut in diversis Orationibus, aut quomodoque etiam in eadem, uti posse bis tribus Styli generibus, *Infimo*; *Mediocri*, et *Sublimi*, prout exigit res et materia. Accomodanda est enim, dicendi ratio, rebus et personis: et materia ipsa prout in semet est, vel plano infimoque, vel paulo elatiore seu mediocri, vel sublimi tractanda est Stylo.

§. VII.

De proprietate et delectu vocum.

Negari nullomodo potest, bonum Latini, esse Oratorem, Scriptoremve posse, qui sine Latina, sive Patriam, sive quaecunque utitur, perfectè non calleat linguam. Nihil enim Oratorem Scriptoremque, quamvis excellenter sapienterque etiam forte cogitet, magis insulsum, nihil Orationem, magis facit insipidam, quam aut imperitia, ejus qua utitur linguae, aut negligentia, nullusque in ea optimarum vocum verborumque delectus.

Aliud vero est *Proprietas*, aliud *delectus* vocum. *Proprietas* imprimis consideranda. Vox vg. *praejudicium*, nihil aliud rectè significat, quam quod ante praecessit iudicium: ut Cicero: *Cum is duobus praejudiciis jam damnatus esset.* Translatè quoque dicitur: ut: *praejudicia puerilis aetatis. Praejudicia Philosophorum. etc.* Sed praeterquam barbare *praejudicium*, pro *damno* sive *jactura* usurpari non potest. Ita in omni voce cujuscunque linguae, quid propriè significet, cum primis ratio habenda est. Ad hanc quoque proprietatem vocum pertinet, ne inusitatis apud veteres Scriptores Latinos (qui praesertim circa Augusti saeculum floruerunt), in lingua latina utamur vocibus. Quamobrem qui eleganter et castigate vult scribere, nisi in Dictionariis, Ciceronis, Caesaris, Salustii, Livii, Cornelii Nepotis, Catonis, Varronis. etc. Ju

Pœsi vero, Terentii, Lucretii, Catulli, Propertii, Virgilii, Ovidii, Horatii, Phaedri, et similium, auctoritatem repererit, voce tanquam minus latina, in eleganti Oratione. Epistola et Carmine abstinabit. Senecae quoque voces ut: *gratitudo*, pro *grato animo*, erunt vitandae. *Fieri potest*, pro ignoto veteribus Romanis, *possibile est* elegantius dices. In Patria quoque Lingua eadem servanda diligentia est, et bonis Synonymis, quae vim verborum usitatorum explicant, tanquam lydio lapide utendum est. Sed de Patria lingua alibi dicturi sumus.

Delectus vero vocum ita intelligitur, ut quamvis duae pluresve, quae sere idem significent, occurrant voces, melior tamen aptiorque deligenda est. Ut Cicero dixisse potuit: *enitendum, conandum, contendendum, tibi est*, tamen ad cogitationem suam melius exprimendam dixit: *iu hoc tibi elaborandum est, Rempubl: ut constituas*. Dicere potuit: *rationes expositae*: dixit, *rationes elimatae*. Dicere potuit: *aegritudines animi*, quae, passiones barbae vocantur) *praefocandae, tollendae sunt*: dixit melius: *aegritudines elidendae sunt*. Sed infinita essent hujus rei exempla. Huc spectant et meliores quilibet dicendi modi. Ut melius dices: *Optionem alicui facere ut eligat*: quam, *proponere aliquid ad eligendum*. *Facere agno*: quam *immorales agnum*. *Comitia cogere* quam *convocare ad Conitia*. Sed his similia possent sine fine adduci. Pauci itaque: elocutionem fore semper imper-

sectam et insipidam, nisi, et proprietatis, et delectus vocum diligentissima ratio habeatur.

Evidens jam est, semper propriis, semper delectis vocibus longè pulchrius, quamlibet cogitationem exprimi. Si dicas: *Quam pauci sunt, qui in arcano honestatem curent, quam obliuiscuntur?* Multi enim bonum nomen pauci vero animae dictamen curant. Quam id longè inferius est, verbis et sententia Plinii, qui idem elegantioribus delectisque vocibus, ita exprimit: *Quoto cuique eadem honestatis cura, secreto, quae palam? multi famam, conscientiam pauci verentur.* Si dicas ita: *Si sapientens bonique semper Reges essent, Regna semper durarent et florent.* Si aliter idem veritas: *Regnorum fortuna et diuturnitas, seriè continua bonorum et Sapientum Principum, metienda est.* Si iterum eadem ita mutes: *Sint semper boni Sapientesque Reges, florentia eorum Regna, nunquam esse desinent.* Bona ubique et solida cogitatio est, sed dictio insipida. Melius voces delige, et sententiae eidem gratiam dignitatemque restituere. Dic potius: *Regna essent aeterna, si ii qui regunt, boni semper bonis, sapientes sapientibus succederent.* Dixit quispiam: *Homini est plurimum felicitatis, posse omnia quae velit: homini magnae virtutis est, qui nolit, quantum possit.* Alius idem ita: *Magnae fortunae est, posse quantum velis: magnae virtutis est, nolle quantum possis.* Quid ex his duobus melius ac elegantius dictum? vel puerulus facile iudicabit.

Talibus exemplis pluribus, prudens Eloquentiae Praeceptor, Adolescentibus ostendere non gravetur, quam in quaerenda proprietate verborum delectuque vocum, nulli sit parcendum labori, et quam nulla possit esse elegans, his neglectis, Oratio.

§. VIII.

De Claritate Styli.

Inprimis ut claritati in Elocutione quam maxime studeant, assiduo cohortandi sunt Eloquentiae tyrones, nempe ut intelligant ipsi primum perfecte, id quod scribunt, aut dicturi sunt, quatenus ab aliis facile intelligi possint. Examinent ipsimet in locutione qualibet quo loco casus, ut vocant nominativus, ubi verbum, ubi ejus constructio, ubi casus communes, ubi epitheta, ubi adverbia. Videant ne procul nimum a verbo sint, quae a verbo reguntur: ne epitheta a suis nimum substantivis distent: ut adverbia, ut casus communes, propriis locis collocentur, ut nihil in inciso, nihil in membro, nihil in Periodo, necessarium desit. Nihil nimum amplificent. Periodos justo longiores vident, particulis omnia nectant. Si haec omnia observantur, etiam difficilior quaevis Oratio, clara et perspicua erit.

Cicero de statu mentis, cum è corpore exierit, ita loquitur: „ Beati erimus cum corporibus resolutis, et cupiditatem, et aemula-

tionum expertes erimus. Quandoque nunc facimus, cum laxati curis sumus, id multo tam faciemus liberius: totosque nos, in contemptendis rebus perspiciendisque ponemus: propterea, quod et natura inest mentibus nostris infatiabilis quaedam cupiditas veri videndi; et orae ipsae locorum illorum, quo pervenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum Coelestium, eo majorem cognoscendi cupiditatem dabunt, *etc.* Cogitatio haec excelsa satis est, sed cum tam clarè exposita sit, quid in ea, vel pueris intellectu difficile? Firmissimum hoc (*inquit idem*) afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla Gens tam fera, nemo hominum tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet. Omnes tamen esse vim, et naturam Divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re, consensus omnium Gentium, lex naturae putanda est. *etc.* Maximum vero (*idem inquit*) argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curae sunt, et maximè quidem, quae post mortem futura sunt. Serit arbores, quae alteri saeculo prosint, ut ait Statius: quid spectans, nisi etiam postera saecula ad se spectare? Ergo arbores seret diligens agricola, quarum aspiciet baccam ipse nunquam: Vir Magnus leges, instituta, Rempublicam conseret.

„ Quid procreatio liberorum, quid propagatio
 „ nominis, quid adoptiones filiorum, quid testa-
 „ mentorum diligentia, quid ipsa sepulchrorum
 „ monumenta, quid Elogia significant? nisi nos
 „ futura etiam cogitare.

Aequè limpidus in exornativo genere, idem Cicero, celebrat Lucillum: „ Consulatum ita
 „ gessit, ut diligentiam admirarentur omnes, in-
 „ genium cognoscerent. Post ad Mitridaticum
 „ bellum missus à Senatu, non modo opinio-
 „ nem vicit omnium, quae de ejus virtute erat,
 „ sed etiam gloriam Superiorum. Tanta er-
 „ go Imperator, in omni genere belli fuit, prae-
 „ liis, oppugnationibus, navalibus pugnis, toti-
 „ usque belli instrumentis et apparatu, ut ille
 „ Mitridates Rex post Alexandrum Maximus,
 „ hunc à se Majorem Ducem cognitum, quam
 „ quemquam eorum quos legisset, fateretur.
 „ In eodem tanta prudentia fuit, in constituen-
 „ dis temperandisque Civitatibus, tanta aequi-
 „ tas, ut hodie stet Asia Lucili institutis ser-
 „ vandis, et quasi vestigiis persequendis, etc.
 Quam haec claritas, quae ubique et in omni ge-
 nere dicendi eadem Ciceroni est, et admiranda
 omnino, et imitanda est.

Nonnulli tamen solent conqueri: et ve-
 teres, et Ciceronem, sibi videri intellectu dif-
 ficiles. Falsum quidem id est; Non enim ullo
 modo difficultas haec, eos, ac Ciceronem prae-
 sertim intelligendi, provenit, ex obscuritate
 Styli, quae nullibi in eo notari potest, sed na-
 scitur, aut ex ignorantia temporum et Historiae,

cujus nobis notitia deest, aut ex sublimitate materiae, quam non quilibet capere fortasse potest. Vel in talibus autem sublimioribus, quae tractat, materiis, incredibilis illius est perspicuitas. De *DEO* ut *prima causa* motus, ideoque *aeterna*, ita ratiocinatur: " Quod semper movetur, id
 ,, aeternum est. Quod autem motum affert ali-
 ,, cui, ipsum vero agitatur aliunde, quando fi-
 ,, nem habet motus, vivendi quoque finem, ha-
 ,, beat necesse est. Solum igitur, quod seipsum
 ,, movet, quia nunquam deseritur à se, nun-
 ,, quam ne moveri quidem desinit: quin etiam
 ,, caeteris, quae moventur, hic fons, hoc princi-
 ,, pium est movendi. Principii autem nulla est
 ,, origo. Nam ex principio oriuntur omnia: i-
 ,, psam autem nulla ex re alia nasci potest. Nec
 ,, enim esset id principium, quod gigneretur
 ,, aliunde. Quod si nunquam oritur, ne occi-
 ,, dit quidem unquam. Nam principium extin-
 ,, ctum, nec ipsum ab alio renascetur, nec à se
 ,, aliud creabit. Siquidem necesse est à prin-
 ,, cipio oriri omnia, ita fit, ut motus princi-
 ,, pium ex eo sit, quod ipsum à se movetur. Id
 ,, autem nec nasci potest nec mori, vel conci-
 ,, dat omne Coelum, omnisque natura consistat
 ,, necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua
 ,, primo impulsu moveatur. etc.

Haec sublimia, haec Philosophica sunt: nulli tamen non limpidissima, nisi illi, qui de *causa prima omnis motus*, nihil unquam audiverit.

Illud è Philippica secunda, contra Mar-
 cum Antonium. „ Sed ne forte ex multis re-
 „ bus *gestis* M. Antonii, rem unam pulcherri-
 „ mam transiliat Oratio, ad Lupercalia venia-
 „ mus. Non dissimulat P. C. apparet esse com-
 „ motum, sudat, pallet: quid libet, modo ne
 „ nauseet, faciat, quod in porticu Numitia fe-
 „ cit. Quae potest esse turpitudinis tantae de-
 „ sensio? cupio audire ut videam, ubi Rhetoris
 „ tanta merces, ubi campus Leontinus appare-
 „ at. Sedebat in rostris collega tuus, amicus
 „ toga purpurea, in sella aurea, coronatus. Ad-
 „ scendis: accedis ad sellam, (ita eras Lupercus,
 „ ut te esse Consulem meminisse deberes) dia-
 „ dema ostendis. Gemitus toto foro. Unde di-
 „ adema? non enim abjectum sustuleras, sed at-
 „ tuleras domo meditatam et cogitatum sce-
 „ lus. Tu diadema imponebas, cum plangore
 „ Populi, ille cum plausu reiciebat. Tu ergo
 „ scelerate, inventus es, qui cum auctor Regni
 „ esses, eum quem Collegam Regni habebas,
 „ dominum habere velles: et idem tentares,
 „ quid Populus Romanus ferre et pati possit. etc.

Haec perquam clara sunt, si Historiae lu-
 men adicias. Lupercalia, ludi erant sacri Pani
 pastorum Deo. Luperci nudi fere in iis discar-
 rebant. Lupercum egit Antonius contra gra-
 viter Consularem, et Caesari Regium diade-
 ma obtulit, in ea Urbe, cui nomen et insignia
 Regum odiosissima fuere. Quod memorat de
 Numitia porticu, ne ibi nauseet, vult dicere:
 dummodo non vomat vinum, quod, temulen-

tus alias M. Antonius, in porticu Numitia coram populo faedè vomuerat. Quod de Rhetore et campo Leontino jocatur, facile intelliges, dum scieris, M. Antonium paulo ante in campo Leontino ita dicto, jugera aliquot Rhetori cuidam dedisse, ut eum in adeo provecta aetate eloquentiam doceret. His cognitis nihil est, quod tibi in hoc puncto Orationis non perspicuum videatur.

Illud Plinij, non ob Styli obscuritatem, sed ob profundiorē cogitationem, absque diligenti, meditatione non intelliges. " Mihi vi-
 ,, detur accerba semper et immatura mors eo-
 ,, rum, qui immortale aliquid parant. Nam qui
 ,, voluptatibus dediti, quasi in diem vivunt, vi-
 ,, vendi causas quotidie finiunt. Qui vero po-
 ,, steros cogitant, et memoriam sui, operibus
 ,, extendunt, his nulla mors non repentina est,
 ,, utque semper inchoatum aliquid abrumpat. Simplex sensus hic est: Magni Viri semper cito et praemature moriuntur, nam magna, quae semper moliuntur opera, terminare non possunt. Qui propter voluptates solas vivunt, aliam vivendi non habent causam, nisi voluptatem, quovis ergo die mori possunt, absque bonorum dolore, nam vivendi causam, quae illis nulla alia est, nisi, qua utuntur, voluptas, quotidie assequuntur et finiunt.

Poetae quoque longè difficiliter intelliguntur, non ideo tamen obscuri sunt. Illud Juvenalis: *Rusticus ille tuus sumit trechedipna Quirine, et Caeromatico fert niceteria collo.* Cla-

rum erit, dum noris Pòetam ridere, quod Quirini seu Romuli Posterì, à Rusticis et Pastoribus, primis cum Romulo Urbis fundatoribus orti, adamarint genus quoddam peregrinae ac pretiosae vestis, quae Graecis vocabatur *Trehedipnon*: qua quidem veste nunquam interdum, sed ad societates tantum nocturnas, uti licebat: Quodque in collo ceromate inuncto portarint niceteria seu numismata quaedam, quae pro praemio ijs qui in gladiatorijs ludis vicissent, dabantur. *Nicos* apud Graecos victoriam significat: *Niceterion* signum seu praemium victoriae.

Paucis dicamus: Oratorum Scriptorumque omnium necessariam ac praestantissimam esse dotem, Styli claritatem, enormius verò vitium in quocunque Styli genere non dari, confusione et obscuritate.

Experientia tamen multiplex testatur, vitio hoc obscuritatis Adolescentes maximopere laborare: praesertim quod saepe ipsi quae scribunt, intelligere nescio quomodo videantur, cum tamen in ijs sensus et ratio deest, nec à prudente intelligi possunt. Hoc vitium ita plerumque cum aetate crescit, ut et in Comitibus, et in Senatu, imo et in Sacris Cathedris, talia saepius audire contingat, quae minimè capias, quae dicens ipsemet sibi capere videatur, nec capit.

In cogitando quidem praecipue situm est hoc vitium, quod inprimis dicendi scribendique inexperti adhuc Juvenes, sed persaepe etiam jam viri, ita confuse cogitent, seu se ipsos in

cogitando confundant, ut somni fere cogitationes eorum sint similes, nullusque aut vix ullus bonae mentis sensus in iis eluceat. Verbum etiam aliquando pernecessarium ad constructionem Orationis deerit, nec tamen animadvertent, illud deesse.

Si id vitij a natura oritur, frustra ejus emendationem coneris. Audii ego Comitiorum Praesidem, ita quidem locutum: " Cum munere Superum, Sacra Regia Majestas, Paternae de nobis sollicitudinis plenissima, cui solennes aeternasque à nobis gratias referri oportet, in dolore de tantis infelicitatibus, infortuniis et calamitatibus publicis, ac fere re ipsa imminentibus gravissimis periculis ad interitum undique tendendo, salutis suae fere immemor, nam noctu diuque laboribus pro Republica non parcit, etiamsi tot infeliciter ac malignè rupta sint, ad praesentia indefessa ejus cura convocati sumus Comitia: proinde benignè Coelorum nutu, sine quibus inauspicato nihil nobis aggrediendum est, et si dubitet, utrum spei Ejus Regiae responsum sit. etc. etc. Vir tamen erat fere quinquaginta annorum, qui ita scribere ac perorare consueverat. Proinde sinamus tales cogitare, ut iis libet.

Si verò non à natura, sed ab aetate immaturoque adhuc ingenio, confusio haec cogitationum nascitur, eam profecto et aetas ulterior, et Eloquentiae disciplina cum tempore corrigent. Omnia sanè quae hucusque in prae-

ceptionibus nostris praecessere, eò tendunt, hincque praecipuus debet esse cujuslibet boni Magistri labor, bene ut cogitare, ac cogitata ordinatè proferre Adlolescentes condiscant. Proinde contra eas obscuritates, quae ex imperfecto modo cogitandi, aut cogitationes ordinandi plerumque nascuntur, nos hic nihil agemus, cum satis de his sit dictum, in *Inventione et Dispositione Rhetorica*, ubi de inveniendis solidis cogitationibus, de iisque rectè disponendis abundè egimus: quae cogitationes si bonae, sique rectè ordinatae sint, ad claritatem Styli nihil deerit, praeterquam verba, quibus, prout par est, clarè exprimantur.

Hoc itaque loco de claritate Styli agentes, de verbis duntaxat agimus, quae quam clarissimè explicare debent ea, quae rectè cogitavimus. Brevibus: de claritate Elocutionis agimus.

Obscurant itaque Elocutionem praepremis ingentes, longae, enormesque Periodi, et in iis infarta iucisa. Obscurant frequentes et longiores Parentheses, ubi cogitationes una in aliam involare videntur. Obscurat nimia amplificatio. Obscurat defectus aliquorum necessariorum verborum, aut: ut plurimum, malus eorum delectus, malaque collocatio.

Quod ut Juvenes facilius in exemplo intelligant, verto in linguam latinam, tale, uti fuit; et eo penitus, quo fuit ordine, exemplum Orationis cujusdam, factae ad Regem, in qua gratiae pro collato Senatorio munere redduntur.

Etsi universae Reipubl: quae Tua Potentissime Rex ingentia de se merito, Paternamque sui curam, tota admiratione defixa, quotidie contemplatur, nec continuis celebrare cessat laudibus, intersit, si ut est, grata tibi esse velit, ut tibi qui pacem nobis rerum optimam, et omnibus potiore[m] triumphis, inter tot undique strepentium armorum tumultus, inter ardentem flammis incendiisque viciniam, tua vigilantia, Sapientia ac moderatione conservas, qui dum alij Principes fere in necem generis humani conspirant, et bella quae omni jus dant sceleri, omniumque injustitia[m] ac flagitiorum sunt fontes et faces, ex bellis serant, ut administrationi justitiae, qua vitas, fortunas, conjuges, liberos, Laresque nostros, in toto securoque ponis, in Areopagis ac Tribunalibus Regni, Tu Legum observantiae, Tu salutis Civium, à quibus liberis suffragiis electus rogatusque es, quasi haereditarij tui Principatus ignorares pericula et calamitates, totus omnino incumbis, nos enim liberorum tuorum veluti amantissimus Lae[us] loco numerare videris; ut Tibi inquam Respubl: gratias quam solemni ssimas agat, nihilominus, Rex Clementissime, de cujus nos clementia ac pietate, rectius ea omnia, quae de suo Trajano Romanus Consul quae de Ciro, Tito, M. Aurelio, alij praedycarunt, celebrare possumus; Mihi quoque profecto indulgebis, ut et pro publicis beneficiis quibus beneficentiam Augusti Imperatoris erga Patriam longe superasti, ille siquidem è lateritia nedum, ut jactabat, marmoream, sed et auream, si reliquisset Romam,

sanguinem Romanorum Civium, quem am'itione regnandi, ac o. prim'ndae Re publ: cupiditate effuderat, nunquam satis rependisset, ne dum vero pro publicis beneficiis, sed et simul pro summa Tua erga me Regia benevolentia ac munificentia, qui me et honoribus et fortunis, et hac imprimis in Senatu prope Majestatem tuam Curuli, praeteritis forte tot ante me bene de Te et Rep: meritis Civibus, quorum ego erga Te fidem, erga Patriam amorem apprime perspectum habeo, dignatus es, maximas quas animus capere potest, coram teste grati animi mei universo Senatu et Republ: non tam voce, quae magnitudini tuorum erga me beneficiorum non sufficit, quam corde, cujus lingua et eloquentia disertius nihil est, Majestati tuae adjungam gratias. etc.

Quantae tenebrae! quae verborum involutio? quae parentheses? quae stolta et plus quam Asiatica amplificatio, quae farrago indigesta rerum? Sed sunt quaedam, ut istud, ingenia, quibus plures simul rerum occurrunt imagines, simulque quodammodo in mentem irrunt, prudentia et judicio nullo, arte nulla, quae eas suo ordine collocet ac dispescat.

Eadem itaque ipsas cogitationes, inutilibus hinc inde amplificationibus rescissis, per suas periodos discerne et discrimina, ita Orationi debitam claritatem restitues. Periodi rotundae et breviores, (ut jam alibi superius innuimus) ea quae cogitas, perspicua omnino reddent. Sic itaque eloquere.

„ *Universae quidem Reipubl: interest, Rex*
„ *Auguste, pro ingentibus Tuis de ea meritis,*
„ *summisque quibus eam cumulare non cessas,*
„ *beneficiis, solennes perpetuasque tibi agere*
„ *gratias. Paternam sui illa curam, quae Re-*
„ *giam tuam incessanter mentem occupat, tota*
„ *admiratione adfixa contemplatur, debitisque*
„ *celebrare non cessat praeconiis. Melius cer-*
„ *tè, magisque regiè de ea mereri non potes,*
„ *quam quod pacem nobis rerum optimam, et*
„ *innumeris potiore triumphis, tua vigilan-*
„ *tia, sapientia, et moderatione conservas. Ar-*
„ *ma undique personant, ardet flammis incen-*
„ *diisque vicinia: nos pacatis rebus, nos bea-*
„ *to frui otio, nos securos tranquillosque de-*
„ *gere, cui? nisi tuae debemus providentiae?*
„ *Alij quidem Principes fere in necem humani*
„ *generis conspirasse videntur. Bella ex bellis*
„ *ferunt, quae omne jus dant sceleri, et injusti-*
„ *tiae, flagitiorumque fontes sunt omnium. Tu,*
„ *ut vita nostra, Conjuges, liberi, Laresque no-*
„ *stri in tuto sint, Optime Princeps prospicis,*
„ *Tuum id est studium, Tua de nobis sollici-*
„ *tudo. In Areopagis nimirum ac Tribunali-*
„ *bus nostris, ut rectè administretur justitia, vir-*
„ *tus et innocentia integrae sint, scelera, vis et*
„ *injuria absint, coerceantur punianturque cri-*
„ *mina, haec Tua trophea sunt, hae Tuae palmae.*
„ *Ita eorum, à quibus liberis suffragiis electus,*
„ *rogatusque es ut regnares, integritas et for-*
„ *tuna tibi cordi sunt, ita totus eorum felicitati,*
„ *salutique curandae vacas, ut si Augustae tuae*

„ Familiae, haereditariique tui Principatus, ca-
 „ lamitates et pericula ignorares. Nos etenim
 „ Liberorum Tuorum loco, velut amantissimus
 „ Parens, numerare videris. His titulis, his no-
 „ minibus, quas gratias tibi non debet Respubl:
 „ Nihilominus indulgebis Rex Clementissime,
 „ privato quoque homini, gratissimas ut cum
 „ universo Senatu, Aequestrique Ordine con-
 „ jungat voces, ac justas, Majestati tuae persol-
 „ vat grates, tam pro publicis erga Patriam be-
 „ neficiis Tuis, quam pro Regia simul erga me
 „ munificentia, ac benevolentia Tua. Honori-
 „ bus me siquidem, fortunis, atque hac imprimis
 „ praecipua in Senatu Curuli augere digna-
 „ tus es, praetermissis, quod me fateri aequum
 „ est, tot ante me, de Te, et Rep: bene meritis
 „ Civibus, qui suam erga Te fidem, erga Patriam
 „ caritatem, clarissimis testati sunt monumentis.
 „ Sed cum ubique at semper, justitiae, in me
 „ etiam praeterea benevolentiae Tuae, illustre
 „ documentum praebere non dubitasti. Adeoque,
 „ quae de suo Consul Romanus Trajano, quae
 „ de Ciro, Tito, M. Aurelio, tam publica in
 „ omnes, quam in se privata suorum Principum
 „ obstricti beneficentia magnifice praedicarunt,
 „ recte ea omnia de Te celebrare me hodie oportet.
 „ Nemo enim opinor mihi vitio verteret,
 „ si Regiae liberalitatis Tuae in nos indolem, vel
 „ ipsius auderem praesferre liberalitati Augusti.
 „ Ille siquidem ne dum à lateritiis, ut gloriabatur,
 „ marmoream, sed si auream quoque reli-
 „ quisset Roman, sanguinem tamen Romano-

„ rum Civium, quem cupiditate regnandi op-
 „ primendaeque Reipublicae effuderat, nondum
 „ profecto satis rependisset. Tu ejus animum
 „ et indolem ad bene faciendum cunctis factam
 „ promptissimamque nactus es, sed ejus crude-
 „ litatem vindictaeque libidinem, penitus nun-
 „ quam nosti. Nunquam a Te experti sumus,
 „ quod ab eo Roma et Romana Nobilitas, ex-
 „ perimur autem quotidie quod ab eo Maecenas,
 „ quod Agrippa, quod Maximus, quod
 „ Cinna, quod plurimi. Hujus Tuae Clemen-
 „ tiae, et in innumerabilibus aliis, et vel in
 „ me ipso, hodierno die singulare posteri spe-
 „ ctabunt exemplum. Itaque, non voce, quae
 „ magnitudini, tantorum erga nos Tuorum be-
 „ neficiorum, par esse nequit, sed animo, cu-
 „ jus eloquentia disertius nihil est, Majestati
 „ Tuae, cum pro iis quae eum Rep: cummunia
 „ mihi sunt, tam, et pro his, quibus me singu-
 „ lariter Regia manus tua cumulavit, donis et
 „ muneribus, maximas, quas animus capere po-
 „ test, ago gratias. etc.

Conferant juvenes hoc utrumque exemplum,
 et facile animadvertent, quid ad Styli clarita-
 tem pertineat.

Naturam ut dictum toties sequantur: subli-
 mia et ampullata vitent, infirao potius se se
 plane explicent; quam sublimi ineptiant insa-
 niantque Stylo. Quid enim illud cujusdam? *Col-
 lapsa Religio per contemptum sanctissimorum
 ejus officiorum, in frequentibus adeo perjuriis,
 usuris, rapinis, lege Divina naturali et Patria*

vetitis, quod funditus non everteret Regnum? legum infractio, justitiae administratio, in commercium versa, rationes propriae privato lucro cohonestatae, cui Genti stare diu permetterent? Intelligisne haec? quam facilius otiusque intelligeres, si planiore, mediocrique Stylo, cogitationes suas ita exposuisset:

„ Manifestum est Regna funditus everti, quae
 „ Religionem spernant, collabique sinunt. Ibi
 „ enim perjuria, usuras, rapinas lege Divina
 „ tantopere vetitas, increbrescere, augeri, et
 „ invalescere oportet, ubi Sanctissima Religio-
 „ nis contemnuntur Officia. Nulla quoque Gens,
 „ nulla Republ: stare diu poterit, in qua im-
 „ pune leges infringuntur, in qua administra-
 „ tio, justitiae venalis est, et in commercium ver-
 „ titur, in qua rationes propriae, publicis Pa-
 „ triaeque bono praeferuntur. *etc.*

Ad claritatem quoque Styli, plurimum facit delectus verborum, eorumque bona collocatio. Qua de re cum in praecedenti §. VII. ubertim tractavimus, proinde hic iisdem ipsis repetendis abstinebimus. Ponimus nihilominus Exemplum, ex quo patebit, quam delectus et collocatio verborum, Stylum Orationemque illustrent.

Sint *vg.* cogitationes istae, earumque, verbis, enuntiatio talis:

Boni Civis cogitemus in libera Republ: progeniti obligationes, et eas quaeramus, propriarum rationum amota commodorumque cupidine. Collocemus singulorum felicitatem in

Reipubl: felicitate. Hoc enim debet esse principium innatum et impressum à natura quodammodo, cujusvis non in Regno sed in Republ: viventis menti, fore tantum illum felicem, quantum felix Resp: est, et fortunata: proinde praefendum esse cuicunque bonum Patriae communis, privatis emolumentis. etc. etc.

Sit idem cum meliore delectu, debitaque collocatione vocum.

„ Cogitemus in libera Republ: nati, boni
 „ Civis officia, ac amota propriarum rationum
 „ commodorumque cupiditate, statuamus semel
 „ in felicitate Reipubl:, felicitatem singulo-
 „ rum. Hoc enim esse oportet, quasi innatum,
 „ mentique à natura quodammodo insculptum
 „ principium, haec sententia cujuslibet liberi
 „ non in Regno sed in Republ: v viventis Civis,
 „ tantum illum felicem fortunatumque fore,
 „ quantum erit felix et fortunata Respubl:. Bo-
 „ num itaque communis Patriae, praefendum
 „ illi omnino esse: cuicunque emolumento pri-
 „ vato, quod in perniciem fraudemque Reip:
 „ verteret. Evidens enim est, in paupere, ege-
 „ na, debili, inermi, injustitiae, flagitiorum, ac
 „ impunitatis plena, malè ordinata, ingloria,
 „ despectaque Republ:, Cives ejus non posse es-
 „ se opulentos, fortes, justos, conspicuos, ce-
 „ lebres, tutos, securosque. In Republ: consi-
 „ lio, justitia, et armis destituta, quis suorum
 „ esse potest securus bonorum? Pace tutus
 „ non est, quantumvis rei suae Dominus, à vi
 „ potentioris vel litigiosi, injustique vicini. Bel-

„ lo tutus non est, ab hostis externi raptoris-
 „ que violenta manu. Cum itaque Reipubl: ut
 „ justè omnia in ea agantur, ut se se defende-
 „ re armis contra omnem injuriam possit, bene
 „ consulimus, bene nobismet consulimus. Cum
 „ Reipubl: prospicimus, nobis ipsis prospicimus.
 „ Felices ea infelici, nullomodo esse possumus.
 „ Hoc quaeso, ut dixi, principium, hoc, ut ita
 „ appellem, sanctissimum quoddam, cui omnes
 „ in Reipubl: natos religiosissimè parere fas est,
 „ decretum, Adolescentes Nobiles, futuri Reip:
 „ Cives liberi, ab ineunte aetate menti impri-
 „ mite, memoriae insculpate, animo infigite, sa-
 „ crosanctum id placitum vobis esto. Quidquid
 „ boni in Atheniensi, Sparthana, Carthaginen-
 „ si, Romana, aliisque Rebuspubl: visum unquam
 „ fuit, ab hoc fonte, ab hoc fluxit principio.
 „ Atheniensis, Romanus, Sparthanus non fuit,
 „ qui ita non sensit. Impium jam, irreligiosum,
 „ stultum, imprudens, Cive libero existimate in-
 „ dignum, aliquid contra hoc vel sentire, vel
 „ peccare officium. Qui enim secus aut cogitet,
 „ aut agat in Reipubl:, et Rempubl: evertit, et
 „ semet, posterosque in ea suos proculdubio
 „ perdit. Interire omnino oportet Rempubl:,
 „ cujus Cives fortasse putent: *in male ordinata,*
 „ *Civitate iis bene futurum.*

Vide quantum et delectae, et bene colloca-
 tae voces, ad perspicuitatem contribuant.

Sed haec de Styli claritate sufficiant.



§. IX.

De Vitijs Styli.

Facile jam ex ijs omnibus quae dicta à nobis hucusque sunt, necti potest, quidam vitiorum Eloquentiae index, qui utiliter Adolescentibus proponetur, ut compendio norint, quae illis in quovis fugienda sint Stylo.

Cogitationes cum primis leves et futiles, de quibus toties dictum est, praesertim quae è lusu in verbis oriuntur, talesque rei propositae rationes, quae parum aut nihil concludunt, cum tam in Epistolis quam in quavis Oratione solidissimae rei cujusvis adducendae sint probationes. Exemplis abstinere: tota Pars Prima *De Inventione*, contra hoc vitium pugnat, et multa subministrat exempla.

Confusio in cogitando, et ratiocinando, ac neglectus debiti ordinis inter rationes et argumenta, quae pro quavis reprobanda adducuntur. Tota Secunda Pars *De Dispositione*, contra hoc vitium remedium affert.

In Elocutione vero: vitanda praeprimis sunt, sive Latinae, sive Patriae linguae vitia: voces nempe impropriae, barbarae, malè ex peregrina lingua confictae, obsoletae, inusitatae, minus bene delectae, modique dicendi itidem inusitati, nam sui, cuius linguae, proprii sunt. Si quis igitur optimè linguam, qua scribit aut orat, non callet, prima illi et potissima res de-

est, cur nulla ratione bonus possit esse Orator, aut bonae epistolae scriptor.

Vitanda mala vocum inter se collocatio.

Vitanda *tauthologia*, seu fastidiosa, vocis ejusdem repetitio, quae mutari per Synonymiam, vel circumscribi debet, ne eadem pluries repetatur: exceptis iis vocibus, quae Orationis totius sint, ut vocant: *Subiectum*, idest res de qua sermo est.

Vitandae d'alecti et phrases pœticae, quaeque sunt Pœtis potius carminique, quam Oratoribus propriae.

Vitanda nimia, nimium studiosa, verbosior, ideoque inutilis, ac puerilis, amplificatio.

Vitandus in Stylo tumor, et ampullae, inflata quaedam et semper turgens dicendi ratio; quo vitio nihil turpius.

Vitandus Stylus, non quem vocant infimus, sed vilis, repens, et abjectus, cogitationibus vilibus verbisque scatens.

Vitandus troporum abusus.

Vitandum in figuris, tam ne sint nullae, cum in iis motus animorum, plurimum consistat, quam ne nimium frequentes continuaeque sint, nec praesertim dicendi principio majores et violentae; nullique figurae plus justo immorandum est.

Vitandae hiperbolae, exaggerationesque nimiae, quae prudentiae repugnent.

Vitandus à parte ad partem Orationis, ab argumento ad argumentum, transitionum neglectus.

Vitanda inter praecedentem quamvis et subsequentem periodum, quaedam dissolutio, quas particulis necti inter se eleganter oportet: quae particulae, sunt: *enim, siquidem, proinde etc.* et mille similes. Melius semper expressè ponantur, quam subaudiantur, quamvis et subaudiri nonnunquam possint.

Vitandae longae et nimium infartae periodi, ac in ijs parentheses crebrae aut protensae: et quod fieri potest, brevioribus crebrioribusque periodis cogitationes discernendae. In longioribus vero, particulae quae *Protasim* cum *Apodosi* ligent, diligenter adhibendae.

Vitanda obscuritas Styli, undecunque ea oriatur, sed bis, ter, decies, pluries, quaevis periodus releganda, emendanda, corrigenda, voces in ea transmutandae, transferendae, delendae, emendandae, aliae quaerendae et substituendae, donec limpidiissimi instar fontis, et lucis, cogitatio quaevis pateat, facilisque sit, et audientibus captu, et legentibus intellectu.

Vitanda quaevis et legentium et audientium offensio, unde etiam cum adversariis humanitate et urbanitate agendum est.

Vitanda affectatio, et brevis concisique Styli ubique imitatio, sed suae naturae et indoli, sua cuivis accomodanda Oratio.

Vitanda denique vana eruditionis ostentatio, quae facile semet prodit. Quò minimè dissvadetur, ne Oratio sapientiae et eruditionis plena sit, imò eam talem esse oportet; viderique debet Orator multa scire, multa legisse, rem de qua

tractet penitus intelligere: tanto solidior, tanto melior, si et aliorum opinionibus, Auctoritatibus, exemplis, ea quae dicit, illustret, fulciat, et confirmet: imo verò is, satis esse, aut deses negligensque, aut puer adhuc censendus est, in cuius Oratione, doctrina, et plurima eruditio non appareat. Sed vanitas, aut imprudentia in eo arguitur, qui dummodo multarum scientiam rerum jactet, et importunè venditet, è Pòetis, Historicis, Philosophis infinita quaedam congerit: quaeque paucioribus probare ac exornare potuit, ad fastidium et nauseam, dilatet, ac exageret.

Haec omnia et plura his vitia, in Eloquentia magnopere vitari oportet: quae cum in praecedentibus hujus Libri partibus, exemplis illustrata passim sint, hic ab iis, brevitatis causa supersedendum duxi.

De Orationibus seu Concionibus Saris, separatim alibi, fusèque tractaturi sumus; quò Studiosos Eloquentiae sacrae Juvenes remittimus.

De Stylo Patrio separatam dissertationem paramus, caetera enim omnia quae Tribus his: *De arte bene cogitandi, ad dicendi bene, artem, necessaria*, Libris, contenta sunt, aequè omnino ad Latinam atque ad Patriam Eloquentiam pertinent: quibus utinam et Religioni, et Reipublicae aliquid utilitatis attulerim.

F I N I S.



42

bus corporeis et qualem habet particulas, quae ex gleba hujus tura videntur, ut alli educuntur; et è quibus conflatur: *forterrae motus etc.* *luna* causa, seu forma illius est id, quò in seu materiales et formae argentum, ab auro aliisque metallis diffinita Philosophiae. Denique res quaelibet habet suam causas obstringi, ut *finalem*, seu finem propter quem est, DEineant, nisi studio enim et natura nihil faciunt frustra. Sol in re Politica, in ut die, Luna ut nocte, praeluceat; pluviae ut tuisque occurrent, iam humectent; calamus ut scribat; acus ut lis saepè continget. *etc.* Finis nobilissimus ad quem homo est

Praemonenditus, est DEUS ipse, ut eo immortalis anilium rerum efficiens aeternum fruatur.

tere dari prudente haec satis sunt in hac Schola Juvenibus ad ineptaeque sint, et igendam causarum naturam. Qui tamen adle refutabuntur. praemonendi sunt, quod in rebus corporeis

Linquamus et tuor hae causae facile ostendi possint: non ut ad rerum natura in rebus incorporeis, quae sensibus subje- nas has inveniat, materia et forma non constant. Flos enim morali, argumen quilibet materiam formamque habet, sed exempla apporten Spirituales, nec materiam nec formam habibus difficilins et, quae subjiatur oculis, ut animus, virtus,

Imprimis dilum, etc. Quanquam improprie, etiam re- illud sit, quod re, quae mente concipiuntur, materia effingi, efficiens? Sit prolique potest: *vg.* res circa quas versantur scien- amorem, et ver, artes, virtutes, vitia, etc. possunt dici ea- Reges fecit? DE materia, ut Theologiae DEUS et Religio: potestas à Deo cysicae, res omnes corporeae, Chymiae metal- Reges, à quibus Arithmeticae numeri etc. Patientiae mate-

Itaque ratio sunt omnes adversi casus. Superbiae mate- US enim constit, illustres natales, dotes naturae, honores, Divinae ijs imparis etc. è quibus vani homines superbiunt.

WYŻSZA SZKOŁA
PEDAGOGICZNA W KIELCACH
BIBLIOTEKA

249508

Biblioteka WSP Kielce



0051261